

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput LXVII. Continens Historiam De Resuscitata Filiola Jairi Et Sanata
Haemorrhovsa. Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

ultimâ quidem senecta quod rectè perceperunt, sibi crui patiantur. Quapropter illi pastores omnium maximam laudem merentur, qui Catechetica doctrinam pueris diligenter inculcant: siquidem per omnem vitam, in Ecclesia, Repub. & œconomia, plurimum prodest, si juvenus rectè formetur, & recens testa bono odore imbuatur.

Ita videmus valdè memorabilem esse hanc Christi discepationem cum discipulis Johannis, quibus se Pharisei conjunxerant. Ut enim præcaveret ad omnem posteritatem, ne in Novo Testamento leges conderentur, vel de temporibus juniorum, vel de qualitate cibi, & postea suis Christianis opi-

nione necessitatis, meriti vel supererogationis obtruderentur, simpliciter discipulis suis imitationem exempli Joannis noluit injungere, sed potius ostendit, illud pertinere ad vetustatem Veteris Testamenti, quæ non affluenda sit libertati Novi Testamenti. Imò ipse Christus, propter hanc ipsam causam noluit rationem victus, à Baptista servatam imitari: sed maluit, in collatione ad Baptistam, homo vorax & potator vini à Phariseis vocari, ut ostenderet, nec in abstinendo nec in manducando justitiam Evangelii sitam esse sicuti Augustini glossa tradit.

CAPUT LXVII.

CONTINENS HISTORIAM DE RESUSCITATA FILIOLA JAIRI ET SANATA HÆMORRHOÏSA. MATTH. 9. MARC. 5.

LUC. 8.

RATIO ORDINIS.

DE hac consecutione nulla potest esse dubitatio. Etenim de eo consentiunt tres Evangelistæ, continuo ordine subsequuta tria ista, transfretationem, dæmonum expulsionem, & filiolæ Jairi resuscitationem, nisi quod Matthæus interfert de suo convivio, deque iis, quæ illic dicta sunt & facta, quæ etiam in medio cursu istarum historiarum acciderunt, sed à reliquis extra suum locum alibi recitata fuerant, idcoque ab illis in hoc ordine prætermissa sunt. In primis autem hunc ordinem confirmat Matthæus, qui disputationi Christi cum discipulis Johannis hæc verba subjungit: *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, quibus innuit, eodem loco & tempore factum esse, quodjam sit narraturus.*

Tantum hoc difficultatem quendam objicere videtur, quod quemadmodum quidam superiores historias distinguunt, ex una facientes duas: ita dicunt etiam hanc utramque de resuscitata puella & sanata Hæmorrhœosa apud Matthæum, diversissimam esse ab illa, quam Marcus & Lucas narrant, ut opera nobis danda sit, quo & hic probemus, ubique esse eandem. Primum Argumentum probandæ diversitatis sumptum est à loco. Matthæus scribit, Primatem venisse ad Christum, discumbentem adhuc in convivio, aut certe ad minimum versantem in ædibus, aut circa ædes Matthæi, & disputantem cum discipulis Johannis, quod impossibile est Matthæum potuisse oblivisci. Marcus autem & Lucas dicunt Jairum venisse, cum is adhuc esset circa mare, quod tum recens trajecerat. In quo incredibile est ipsos simul errasse, non profecto dissensuros à Matthæo, nisi revera aliam historiam describendam sumissent. Responsio, Certum est, Matthæum exquisita notatione ordinis subjungere suo convivio, quomodo ad Dominum illic adhuc versantem primas iste venerit: cui reliqui nihil contrarium nec ab eo diversum dicunt. Marci enim verba sunt: *Cum Jesus rediret, &c. congregata est ad eum multa turba, & erat ad mare.*

Matthæus autem istud explicat, ubi congregata sit, & quomodo fuerit ad mare: congregata sc. ad domum Matthæi, sive propè ejus telonium, quod ad mare situm erat, ut Marc. 2. v. 13. & 14. manifestè indicatur. Lucas verò etiam manifestius: *Turba excepit eum. Expectabat enim ipsum*, quod item Matthæus explicat, turbam publicanorum ipsum expectasse, & excepisse cum gaudio, domi sc. Matthæi: postea sensim reliqua turba etiam est aggregata.

Secundum Argumentum est à diverso tempore: quia Marcus & Lucas cum Matthæo de tempore vocationis ipsius consentiant, & tamen Jairum longè post ad Christum venisse dicunt, cum Matthæus primatem suum sub ipsum convivium tempus affuisse tradat. Hæc ratio pro fundamento assumit hoc *αίτιον*, quod Evangelistæ nihil extra suum locum & verum ordinem scripserint, nihil per anticipationem, nihil per Recapitulationem. Quod quam solidum sit, jam aliquoties est indicatum. Et observatio Circumstantiarum ostendit, Matthæum historiam sui convivii suo loco recitantem de vocatione sua rememorasse, quæ tamen cum convivio simul facta non est: ut & reliqui suo loco narrantes de vocatione Matthæi, mox subjungunt de ipsius convivio, quod neque ipsum simul factum est, cum ejus vocatione, sed longe post secutum, eo sc. tempore, quod proximè præcessit resuscitationem filiæ Jairi: cui ordini non obstat, quod Marcus & Lucas alio loco convivium Matthæi recensent. Observanda enim sunt vocabula in Evangelistis, quæ certam temporis & ordinis notationem continent, quæ sicubi extant apud aliquem Evangelistam, ad illius ordinem accommodandæ sunt descriptiones reliquorum, si videntur in ordine historiarum dissentire. Extat autem hæc apud Matthæum exquisita (ut dictum est) ordinis notatio, quæ non item extat apud reliquos, quid proximè post ipsius convivium secutum sit, resuscitatio scilicet filiolæ primatis. Extat item apud reliquos diserta notatio, quæ non extat apud Matthæum, quando is vocatus sit: unde apparet, vocationem istam & convivium diversis temporibus accidisse, nec

nec vocationi subjungenda esse ea, quæ Matthæus ipse subiungit, nec cum convivio conjungenda ea, quæ continuo post addunt Marcus & Lucas: sed post vocationem collocanda ea, quæ mox subiungunt Marcus & Lucas: post convivium autem ea, quæ Matthæus post accidisse dicit.

Tertium argumentum est, quia diversæ sint personæ: eo quod Matthæus agat de *Primate*, quem *ἀρχων* vocet, id est Magistratum, gerendæ Reipublicæ præfectum; Marcus autem & Lucas agant de *Archisynagogo*, id est, Magistro ceremoniarum. Sed neque hoc est firmum. Est enim quidem vox *ἀρχων*, aliquando appellatio Magistratus politici, ut Gen. 12. v. 15. & 34. v. 2. 2. Reg. 10. v. 3. Sed & inter Levitas ac Sacerdotes fuerunt *ἀρχωνες*, ut patet ex 1. Par. 15. v. 5. & aliis versibus. Quin & Nicodemus, qui certè non fuit princeps politicus, sed Magister in Israel, vocatur *ἀρχων*, Joh. 3. v. 1. Luc. 14. v. 1. vocatur *ἀρχων* ἡ *Φαρισαίου*, Joh. 7. v. 48. qui in concilio congregati sunt Pontifices & Pharisei, vocantur *ἀρχωντες*, penes quos erat potestas iudicandi in negotiis religionis & excommunicationis, jus item prehensionis. Et quia Marcus & Lucas disertè dicunt, hunc Jairum non fuisse politicum principem, sed præfectum Synagogæ, intelligendum est etiam, Matthæum de tali primate loqui, qui fuerit Magister ceremoniarum.

Quarto, quia res ipsa sit longe omnium diversissima. Nam Primas apud Matthæum venit ad Christum, cum filia ejus jam planè mortua esset; venit cum magna spe & fide singulari, rogans ut mortuam resuscitet: Jairus autem venit, cum filia ejus adhuc viveret, infirmus in fide, orans, ut morti vicinam sanet, & in vita conservet, abjecta spe, territis audito nuncio de filia morte, nisi Dominus ipsum consolando erexisset. Respondet Augustinus, Matthæum brevitatis causa hoc potius dicere voluisse, rogatum esse Dominum, quod eum fecisse manifestum est, ut scilicet mortuum suscitaret: atque sic attendisse, non verba patris de filia sua, sed quod potissimum est, voluntatem; & talia verba posuisse, qualis voluntas erat. Marcum itaque & Lucam posuisse, quid dixerit Jairus; Matthæum autem, quid voluerit & cogitarit: sed de hoc ipso commodius dicemus paulo post, in ordinatione textus Harmonici. Quanquam Lucas cum Matthæo satis probe consentiat, testificans puellam ita morti vicinam fuisse, cum pater pararet abire ad Jesum, ut interim, dum ipse iret, illa moreretur. Inquit enim: *καὶ αὐτὴ ἀπέθνησκεν, & ἴψα moriebatur.*

Quinto conveniebat, ut Christus, qui duos è virili sexu à morte excitavit, duas item femineæ sexus personas è morte revocaret, ne is sexus ulla in re apud ipsum deterioris conditionis esse videretur. Sed vel centum feminas Dominus excitaverit, non tamen omnium sanorum iudicio ex eo sequetur, has esse duas diversas historias. Potest enim sic existimari, ipsum reliquas aliis locis, aliis item temporibus excitasse, si quas excitavit. Et de duobus illis è sexu virili extant manifestissima diversitates temporis, loci, personarum, quæ si hic quoque extarent, crederemus, duas esse diversas puellas. Non autem extant: Una est ergo puella; nec id malè convenit sexui

Harm. Tom. I.

feminao. Non enim illi benè convenit, quod nos convenire putamus: sed quòd Deus facit & docet. Manet igitur fixum, Marcum & Lucam non aliam describere historiam Archisynagogi, quàm Matthæum Primatis.

Sed & de Hæmorrhousa, quod interea accidit, nonnulli diversum faciunt apud Matthæum, ab eo, quod recensent Marcus & Lucas. 1. Quia nihil mirum sit, utrobique talem feminam tactu vestium sanatam, cum potuerint eodem modo sanari innumeræ. Sed id nihil probat. Esto enim, sanatæ sint à Domino vel mille mulieres occulto vestium Christi tactu: tamen nemo sanus credet, inter istas omnes, diverso tempore, duabus aliquibus diversis, ita potuisse similiter eodemque modo omnia evenire, quemadmodum his evenerunt, si sunt istæ duæ diversæ feminae, ut scilicet Dominus commodum fuerit utroque tempore non in Synagoga, non in convivio, non in navi, sed in via, non cogitans aliò, sed pergens ad excitandum quempiam mortuum, eumque non virum, non feminam, non adolescentem, sed puellam annorum duodecim, non plurium, nec pauciorum, non orbam, sed filiam, non viduam, non hominis vulgaris, sed gerentis magistratum, excitaturus non suâ sponte, nec casu superveniens, sed rogatus, non ab aliis, sed ab ipso patre: Ut ipsæ item duæ feminae duodecim annis, non pluribus nec paucioribus, laborarint, non podagra, non paralyti, non curvitate, sed profluvio sanguinis: ut intra se cogitarint, non de alio, sed de tangendis vestibus, easque attigerint, non à latere, non à fronte, sed à tergo, Domino non discumbente, sed ambulante, non à libi, sed in media turba, unde mox perrexerit ad mortuam, invenit bicines, dixerit, puellam dormire, non mortuam esse, irrisus sit, excitavit, & si quæ sunt alia. Quæ si quis tam multa credat diversis feminis diverso tempore potuisse accidere, tam similia, tamque prorsus eadem, ut propterea istæ sint diversæ historiae, credat eodem modo, solem matutinum diversum esse à meridiano & æstivum ab hyberno.

Secundò, quæ præterea afferuntur diversitates ex eo, quòd Matthæus pauciores circumstantias annotavit, reliqui plures, ne quidem id argumentum probat, istas historias esse diversas. Respondit enim Augustinus: Non interest ad rei veritatem, quòd ab alio aliquid tacitum, ab alio dicitur: Nec quòd Marcus dicit, *Quis tetigit vestimenta mea?* & Lucas, *Quis me tetigit?* Alter enim dixit usitatè, alter propriè, eandem tamen uterque sententiam. Nam usitatius dicimus, conscindis me, quàm conscindis vestimenta mea: cum tamen in aperto sit, quid velimus intelligi. Itaque quod Marcus & Lucas dicunt, Hæmorrhousam multa perpessam à compluribus medicis, insumisse in eos omnem substantiam, nec potuisse ab ullo curari, & in maxima turba tetigisse Christum, undique stipatum ad compressum, ut is humano more scire non potuerit, quiseum tetigisset, ideoque severiter inquirens, eam ita terruerit, ut ad pedes ejus provoluta fateretur omnia, de quibus omnibus Matthæus tacuit: inde verò non sequitur, Matthæum propterea scribere diversam historiam. Neque enim proba-

Q99

bari

bari potest, Matthæum sibi proposuisse omnes omnium historiarum circumstantias exactè annotare, ut nihil earum relinqueret annotandum reliquis, nisi volemus dicere, idiverfam quoque esse passionem Christi, quam describit Matthæus, & quam describunt reliqui Evangelistæ. Sequi-

tur ergò, etiam hanc historiam de Hæmorrhosa ubique esse eandem, non diversam. Quod cum constet esse verum, manifestum est porro, hic esse verum ejus & unicum locum in ordinanda Harmonia Evangelica.

HISTORIA RESUSCITATÆ FILIOLÆ JAIRI ET HÆMORRHOSÆ SANATÆ. MATTH. 9.

- 18. Ταῦτα αὐτὸ λαλῶν αὐτοῖς, ἰδὼν ἄρχων ἐλθῶν προσεκύνη αὐτὸν, λέγων, ὅτι ἡ θυγάτηρ μου ἀπὸ ἐπελεύθησεν. ἀλλὰ ἐλθὼν ὄπισθεν τῆς χειρὸς αὐτοῦ, καὶ ῥήσεται.
- 19. Καὶ ἐκέρθησεν αὐτὸν, καὶ ἦλθεν ὄπισθεν αὐτοῦ, καὶ ῥήσεται.
- 20. Καὶ ἰδὼν γυνὴ αἰμορροῦσα δώδεκα ἔτη, προσελθῶσα ὀπισθεν, ἤψατο τὸν ῥαβδίον τοῦ ἱματίου αὐτοῦ.
- 21. Ἐλεγε γὰρ ἐν αὐτῇ, ἐὰν μόνον ἀψωμῶ τῆς ἱματίου αὐτοῦ, σωθήσομαι.
- 22. Ὁ Ἰησοῦς ὀπισθραφείς, καὶ ἰδὼν αὐτήν, εἶπε, Θυγάτερ, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε. καὶ ἐσαώθη ἡ γυνὴ ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.
- 23. Καὶ ἐλθὼν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἀρχοντος, καὶ ἰδὼν τὴν αὐλήσασσαν καὶ τὸ ὄχλον τῶν ἰερῶν ἐκείνην ἐκείνην.
- 24. Ἀναχωρεῖτε, ἵνα ἰδῶν αὐτήν, εἶπε, Θυγάτερ, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε. καὶ ἐσαώθη ἡ γυνὴ ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.
- 25. Καὶ ἐξῆλθεν ἡ Φήμη αὐτῆς εἰς ὅλην τὴν γαλιλαίαν.

- 18. Hæc cum illis loqueretur, ecce Primas quidam venit, & adoravit eum, dicens: filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super illam, ac vivet.
- 19. Et surgens JESUS, secutus est eum ac discipuli illius.
- 20. Et ecce mulier, qua sanguinis profusio laboravit duodecim annos, accedens à tergo, tetigit fimbriam vestimenti illius.
- 21. Dicebat enim intra sese, si tantum tetigero vestimentum illius, ero salva.
- 22. At JESUS conversus, vidit illam, ac dixit; Confide filia, fides tua salutem te fecit. Et salva facta fuit mulier à tempore illo.
- 23. Et cum venisset JESUS in aedes Primatis, vidissetque turbam tumultuantem, dicit illis:
- 24. Secedite: non enim mortua est adolescentula, sed dormit.
- 25. Et deridebant illum. Cum autem fuisset ejecta turba, introgressus, tenuit manum illius, & surrexit adolescentula.
- 26. Et emanavit rumor hic, in totam terram illam.

MARC. 5.

- 22. Καὶ ἰδὼν, ἐρχεται εἰς τὴν ἀρχισυναγωγῶν, ὄνομα Ἰαίρου, καὶ ἰδὼν αὐτὸν, πίπτει πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ.
- 23. Καὶ παρεκάλει αὐτὸν πολλά, λέγων, ὅτι ὁ θυγάτηρ μου ἐστὶν ἐκείνη, ἣν εἶπες ὅτι ἦν νεκρά.
- 24. Καὶ ἀπέστη μετ' αὐτοῦ, καὶ ἦλθεν ὄπισθεν αὐτοῦ, καὶ ῥήσεται.
- 25. Καὶ ῥήσεται αὐτὸν, καὶ ἦλθεν ὄπισθεν αὐτοῦ, καὶ ῥήσεται.
- 26. Καὶ ἰδὼν αὐτήν, εἶπε, Θυγάτερ, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε. καὶ ἐσαώθη ἡ γυνὴ ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.
- 27. Καὶ ἐξῆλθεν ἡ Φήμη αὐτῆς εἰς ὅλην τὴν γαλιλαίαν.
- 28. Καὶ ἰδὼν αὐτὸν, πίπτει πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ.
- 29. Καὶ παρεκάλει αὐτὸν πολλά, λέγων, ὅτι ὁ θυγάτηρ μου ἐστὶν ἐκείνη, ἣν εἶπες ὅτι ἦν νεκρά.
- 30. Καὶ ἀπέστη μετ' αὐτοῦ, καὶ ἦλθεν ὄπισθεν αὐτοῦ, καὶ ῥήσεται.

- 22. Et ecce venit quidam principum Synagoga, nomine Jairus, & cum vidisset eum, proccidit ad pedes ejus.
- 23. Et deprecabatur eum multum, dicens: Filiola mea in extremis est, oro ut venias & imponas illi manus, ut salva sit, & vivet.
- 24. Et abiit cum illo, & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.
- 25. Et mulier quaedam, qua fuerat obnoxia profusio sanguinis annos duodecim.
- 26. Fueratque multa perpeffa à compluribus medicis, & insumpsit omnia sua, neque quicquam adjumenti senserat, sed magis in deterius venerat.
- 27. Cum audisset de JESU, venit in turba à tergo, & tetigit vestimentum ejus.
- 28. Dicebat enim, si vel vestimenta ejus tetigero, salva ero.
- 29. Et confessim siccatus est fons sanguinis ejus, & sensit corpore, quod sanata esset ab eo flagello.




- 30. Καὶ ἐν τῷ ὄρει Ἰησοῦς ἑστηκὼς ἐν αὐτῷ πλὴν ἐξ αὐτῶν δυνάμειν ἐξελθόντων, ἵππερα φέροις ἐν τῷ ὄρει, ἔλεγε, τίς με ἤψατο;
- 31. Καὶ ἔλεγον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, βλέπων τὸν ὄρειον συνθλίβοντά σε, καὶ λαλεῖς, τίς με ἤψατο;
- 32. Καὶ ἀπεβλέπετο ἰδεῖν τί τῷ πεποιηκῆεν.
- 33. Ἡ δὲ γυνὴ φοβηθεῖσα καὶ τρέμεισα, εἰδὼς ὅτι γέγονεν ἐπ' αὐτῆ ἡλθε, καὶ προσέπεσεν αὐτῷ, καὶ εἶπεν αὐτῷ πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν.
- 34. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτῇ, θυγάτηρ ἡπίστι σε σέσωκέ σε, ὑπάγε εἰς εἰρήνην, καὶ ἰδοὺ ὑγίης ἕξο τὸ μάρτυρόν σε.
- 35. Ἐπι αὐτῷ λαλοῦντος, ἔρχονται ἀπὸ τῆς ἀρχισυναγωγῆς, λέγοντες, ὅτι ἡ θυγάτηρ σου ἀπέθανεν, πῆ εἰς σκυλλεῖς τὸ δάσκαλον;
- 36. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐθίως ἀκούς τὸ λόγον λαλιῶμον λέγει τῷ ἀρχισυναγωγῷ, μή φοβῆ, μόνον πιστεύε.
- 37. Καὶ οὐκ ἀφῆκεν ἰδεῖν αὐτῷ συνακαλεθῆσαι, εἰ μὴ Πέτρον καὶ Ἰακώβον, καὶ Ἰωάννην τὸ ἀδελφὸν Ἰακώβου.
- 38. Καὶ ἔρχεται εἰς τὸν οἶκον τῆς ἀρχισυναγωγῆς, καὶ θεωρεῖ θύρον, καὶ κλαίοντες καὶ ἀλαλῶντας πολλὰ.
- 39. Καὶ εἰσελθὼν λέγει αὐτοῖς τί θυροῦσθε, καὶ κλαίετε, ὅτι παῖδόν σου ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει, καὶ κατερέλπει αὐτήν.
- 40. Ὁ δὲ ἐμβαλὼν ἀπᾶντας, ἠθρολαμβάνει τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα καὶ τὴν μητέρα, καὶ τὴν μετ' αὐτῆς καὶ εἰσπορεύεται ὡς ἡ ὁ παῖδόν ἀνακείμενον.
- 41. Καὶ κρατήσας τὴν χεῖρα τῆς παιδός, λέγει αὐτῇ, παῖδά μου, ἰδοὺ μεθέρμηνησιν αἱμοῖ, ὁ κοράσιον, οὐ λέγω ἐγενόμην.
- 42. Καὶ ἐθίως ἀνέστη τὸ κοράσιον, καὶ περιεπάτη, ἡ δὲ ἔτων δώδεκα, καὶ ἔξῃσαν ἐκαστὴν μερῶν.
- 43. Καὶ διετίλατο αὐτοῖς πολλὰ, ἵνα μηδὲς γινῶσθῃ, καὶ ἀπεδοθῆναι αὐτῇ φαγεῖν.

- 30. Et statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem ex se prodidisse, conversus in turba agebat: Quis tetigit vestimenta mea?
- 31. Et dicebant ei discipuli eius: Vides turbam undique prementem te, et dicis, Quis me tetigit?
- 32. Et circumspiciebat, ut videret eam, que hoc fecerat.
- 33. Mulier vero timens et tremens, sciens, quod factum esset in se, venit, et accidit ei, dixitque ei omnem veritatem.
- 34. Ille autem dixit ei, Filia, fides tuae servavit. Vade cum pace, et esto sana a flagello tuo.
- 35. Adhuc eo loquente, veniunt a principe synagoga, qui dicerent, Filia tua mortua est, quid ultra vexas Magister?
- 36. Iesus autem protinus audito sermone, qui dicebatur, ait principi Synagoga, ne metuas, tantummodo crede.
- 37. Et non permisit, ut quisquam se sequeretur, preter Petrum et Jacobum, et Johannem fratrem Jacobi.
- 38. Et venit in domum principis Synagoga, videtque tumultum, ac flentes et ejulantes multum.
- 39. Et ingressus ait illis: Quid tumultuamini et ploratis? Puella non est mortua, sed dormit. Et irridebant eum.
- 40. Ipse vero eiecit omnibus assumit patrem et matrem, puellam, et eos qui cum ipso erant, et ingreditur eam, ubi puella erat jacens.
- 41. Et apprehensa manu puelle, ait illi, Talitha cumi, quod est, si quis interpretetur: Puella, tibi dico, surge.
- 42. Et confestim surrexit puella, et ambulabat, erat enim annorum duodecim, et obstupuerunt stupore magno.
- 43. Et precepit illis vehementer, ne quisquam id sciret; et iussit, ut daretur illi quod ederet.

LUC. 8.

- 41. Καὶ ἰδὲ ἦλθεν ἀνὴρ, ὃ ὄνομα Ἰάϊρος, καὶ αὐτὸς ἀρχὸν τῆς συναγωγῆς ὑπῆρχεν, καὶ πᾶσιν ὡσαύτως πόδας Ἰησοῦ παρεκάλει αὐτὸν εἰσελθεῖν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ.
- 42. Ὁ δὲ θυγάτηρ μονογενὴς ἦν αὐτῷ, ὡς ἔτων δώδεκα, καὶ αὐτὴ ἀπέθνησκεν, ἐν τῷ ὑπερῆν αὐτὸν, οἱ ὄχλοι συνεπιήρουν αὐτόν.
- 43. Καὶ γυνὴ ἕσα ἐν ῥυσὶ αἵματι, ὡς ἔτων δώδεκα, ἦν εἰς ἰατροὺς προαναλώσα ὅλον τὸν βίον, οὐκ ἔχουσα ὑπὸ ἄδενος θεραπευθῆναι.
- 44. Προελθὼσα δὲ ὅπουθεν, ἤψατο τῆς κρασπέδος τῆς ἱματίου αὐτοῦ, καὶ ὡσαύτως ἔση ἡ ῥύσις τῆς αἱματίου αὐτῆς.
- 45. Καὶ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς, τίς ἀψάσμεός με; καὶ ἀποκριθεὶς πάντων, εἶπεν ὁ Πέτρος, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ, ἵππετατε,

- 41. Et ecce venit vir, cui nomen Jaïrus, et ipse princeps Synagoga erat, acciditque ad pedes Iesu, rogans eum ut intraret in domum suam.
- 42. Quoniam unica filia erat ei ferè annorum duodecim, et hoc moriebatur. Verum inter eundem, turba coarctabant eum.
- 43. Et mulier, que erat obnoxia profluvio sanguinis ab annis duodecim, que in medicos impendemat omnem substantiam, non potuit ab ullo curari.
- 44. Accedens vero retrò, tetigit fimbriam vestimenti eius, et confestim sistebatur fluxus sanguinis eius.
- 45. Et ait Iesus: Quis est qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant,



- οἱ ὄχλοι συνέχρασαν αὐτὸν καὶ ἀποθλίβουσι, καὶ λέγουσι, τίς ὁ ἀνθρώπος οὗτος;
46. Ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, ἡ ψαυὴ μου τίς. ἐγὼ ῥόγγων δύναμιν ἐξελθὼν ἀπὸ ἐμοῦ.
47. Ἰδὼσα ἡ γυνὴ, ὅτι οὐκ ἔλαθε, ἔσμεθα ἡλθε, καὶ ἠσπασε τὰ πόδια αὐτοῦ, διὸ ἠνείταν ἡ ψαυὴ αὐτῆς, ἀπὸ γρηλευν αὐτῷ ἐνώπιον πάντων τῶν λαῶν, καὶ ὡς ἰάθη τὸ ῥογχεῖμα.
48. Ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῇ, θάρσος θυγατέρα, ἡ πίστις σου σε σώσει, καὶ ἄγε εἰσελθὼν εἰς εἰρήνην.
49. Ἐν αὐτῷ λαλῶντι ὁ ἰεροχρεὴτὴς πρὸς τὸν Ἰησοῦν ἄρχισυναγωγὸν λέγων αὐτῷ, ὅτι τέθνηκεν ἡ θυγατέρα σου, μὴ σκύλλῃς τὸν διδάσκαλον.
50. Ὁ Ἰησοῦς ἀκούσας, ἀπέκλιθη αὐτῷ, λέγων, μή φοβῆ, μόνον πίστευε, καὶ σωθήσεται.
51. Εἰσελθὼν ἰς αὐτὴν οἰκίαν, καὶ ἀφῆκεν εἰσελθεῖν ἄδελφόν, καὶ μητρίαν καὶ τὸν πατέρα καὶ τὸν ἀδελφόν καὶ τὴν μητέρα.
52. Ἐκλαίοντι πάντες, καὶ ἐκόπιοιτο αὐτῷ. ὁ Ἰησοῦς εἶπε, μὴ κλαίετε, ὅτι ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει.
53. Καὶ καταβλέπων αὐτὸν, εἶδότες, ὅτι ἀπέθανεν.
54. Αὐτὸς ἡ ἐκβάλων ἔξω πάντας, καὶ κρατῖσας τὴν χεῖρα αὐτῆς, ἐφώνησε λέγων, ἡ παῖς ἐγείρε. καὶ ἐπέσπειρε τὸ πνεῦμα αὐτῆς, καὶ ἀνέστη τὸ ῥογχεῖμα.
55. Καὶ διέδωκεν αὐτῇ δοθῆναι φαγεῖν. καὶ ἐξέσπασαν οἱ γονεῖς αὐτῆς.
56. Ὁ Ἰησοῦς παρεγγελευν αὐτοῖς, μηδὲν εἰπεῖν τῷ γερουῶ.

- Præceptor, turba te constringunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?
46. Iesus dixit: Tetigit me aliquis. Nam ego novit virtutem aliquam a me exiisse.
47. Videns autem mulier, quod non latuisset, tremens venit, ac procidit ante pedes ejus, & ob quam causam tetigisset eum, indicavit ei coram toto populo, & quemadmodum confestim sanata fuisset.
48. At ipse dixit ei: Confide filia, fides tua te servavit, vade cum pace.
49. Adhuc illo loquente, venit quidam a domo principis synagoga, dicens ei: Mortua est filia tua, ne vexas Magistram.
50. Iesus autem audiens respondit patri puella: Ne time, crede tantum, & salva erit.
51. Et cum venisset in domum, non permise intrare secum quenquam, nisi Petrum, & Jacobum, & Johannem, & patrem ac matrem puella.
52. Flebant autem omnes & plangebant illum. At ille dixit: Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit.
53. Et deridebant eum, scientes quod mortua esset.
54. Ipse autem ejectis foras omnibus, & prebensa manu ejus, clamavit dicens: Puella surge. Et reversus est spiritus ejus, & surrexit continuo.
55. Ac jussit illi dare cibum. Et stupuerunt parentes ejus.
56. At ille præcepit eis, ne cui dicerent quod factum esset.

DE COAGMENTATIONE ET CONCINNATIONE HUIUS HISTORIÆ SECUNDUM CIRCUMSTANTIAS, EX TRIBUS EVANGELISTIS.

Quia aliqui Evangelistas duas diversas historias describere propterea opinantur: eò quòd pater apud Matthæum dicit, filiolum suam jam esse defunctam, Matthæus autem testatur, eam esse in extremis, & denique Lucas, moriebatur. Icircò historia ita est ordinanda, ut singulorum narrationes inter se conveniant. Quæ collatio descriptionis, sicut apud Evangelistas extat, pulcherrimè monstrabit, quomodo Christus languidam, & vix fumantem fidem foveat, alat atque provehat. Plurimum enim interfuit inter fidem Centurionis, hominis militaris & Ethnici, de qua supra egimus in 53. cap. Harm. ex 8. cap. Matthæi, & inter fidem Jairi, qui professione erat inter Capernaitanos Theologos præcipuus. Et tamen hunc Christus ob infirmitatem non rejicit, sed suscipit & confirmat. Ordo autem historiæ sic habet. Cum filia esset in extremis, pater domo exit & properat ad Christum, quem dubio procul tum demum compererat, ex Gadarenorum regione domum reversum esse. Ad quem maturius accurrisset, nisi eum trans mare navigasse comperisset. Abiit autem ad eum, oraturus ut veniat, & imposita manu in vita servet, ne moriatur. Fides enim adhuc in ipso erat confusa & imbecillis, nondum eò progressa, ut crederet, eum ipsam jam mortuam posse

suscitare. Atque sic Marcus describit. Quia igitur tantum credebat, Christum posse viventem à morbo liberare, ne moreretur, voluit venire dum adhuc vitam traheret, licet ægrè, ita ut mori videretur, prout Lucas meminit. At verò Christum ad mare & circa aedes Matthæi, quæ procul aberant à domo Archisynagogi, moram aliquam traxisse; ut puella interim moreretur, inde colligitur, quia in adventu eorum funus jam parabatur, turba aderat, & tubicines vocati erant. Hoc verò omne permisit Christus fieri, ne putetur fuisse lipothymia, sed ut constet puellam verè mortuam esse. Ut verò fidem ejus proveheret, quo crederet, posse Christum etiam à morte suscitare eam, accedit in via Hæmorrhousa, cujus sanatione vacillantem ipsius fidem erigit & confirmat, quia morbus ejus erat alioquin incurabilis. Et ne obiter tantum hæreat in superficie miraculi, dicit de virtute à se exeunte. Item: fides tua te servavit. Interim adveniunt nuncii, qui significant filiolum mortuam esse. Nam quamprimum fides cœpit, statim etiam oboriuntur tentationes. Nec ille ulterius petiturus erat, siquidem auxilium non attulisset in vita, & ipse jam post mortem de eo desperasset. Dicunt enim, ne vexes amplius Magistram: sed Christus, quia eum suscepe-

ἀλαλάοντες πολλὰ, καὶ εἰσελθὼν λέγει αὐτοῖς, ἅ ἡ
 Ἰερουσαλήμ, καὶ κλαίετε, ἀναχωρεῖτε, καὶ κλαίετε, ἵνα
 παθῶν ὅσα ἀπέθανεν, ἀλλὰ καὶ Ἰουδαί, καὶ κατεργαζῶν
 αὐτῆς, καὶ εἰδότες, ὅτι ἀπέθανεν. Ἡ αὐτὸς ὁ ἐκβαλὼν
 πάντας ἐξ ἑαυτοῦ, ὅτε ἡ ἐξέβληθη ὁ ὄχλος, ἡ ὄχλος
 λαμβάνει τὸν πατέρα τῆς παιδὸς καὶ τὴν μητέρα, ἡ καὶ
 τὰς μετ' αὐτῆς, καὶ εἰσπορεύεται, ὅπως ἡ τοῦ παθῶν ἀνα
 κείδων. Ἡ καὶ κρατῆσαι τὴν χεῖρα τῆς παιδὸς, καὶ εὐώησε
 ἡ λέγων, ἡ παλιν, ἡ κέρι, ὁ ὅτι μεθ' ἑρμηνευομένων. Ἡ τὸ
 κοράσιον ἡ ὅτι λέγων, ἐγγύρα, καὶ ἐπέσειε, τὸ πνεῦμα
 αὐτῆς, ἡ καὶ ἀνέστη ὁ ἄρχοντα. Ἡ τὸ κοράσιον, ἡ καὶ ὡς
 ὡσαύτ, ἡ ὅτι ἑτῶν δώδεκα. Ἡ καὶ ἐξέστησαν ἡ ἐκείσθ' ἡ
 ἡ καὶ οἱ γονεῖς αὐτῆς, ἡ καὶ διεσείλατο αὐτοῖς ἡ ὡσαύτ, ἡ
 ἡ καὶ μὴδὲς γὰρ τῶν καὶ, ἡ καὶ μηδὲν εἰπαίν τὸ γονεῖς. Ἡ καὶ
 ἡ καὶ δέτεξεν ἡ καὶ δόξῃ αὐτῆς φαγεῖν. ἡ καὶ ἐξῆλθεν ἡ φῆμη αὐτῆς
 εἰς ὅλην τὴν γῆν ἐκεῖνην.

ingressus ait illis : b Quid tumultuamini & ploratis
 secedite, nolite flere. I Non enim mortua est adole-
 scentula, sed dormit. Et deridebant illum, c scientes,
 quod mortua esset. h Ipse vero ejecit foras omnibus, b
 sumit e patrem & matrem puella, b & eos qui cum eo
 erant, & ingreditur eò, ubi puella erat jacens. I Et appre-
 hensa manu puella, c clamavit, I dicens : Talibus tui,
 quod est, si quis interpretetur, e puella tibi dico, c surge.
 c Et reversus est spiritus ejus, I & surrexit h confestim.
 c puella b & ambulabat, erat enim annorum duodecim.
 f Et obstupuerunt b stupore magno parentes ejus.
 f Et praecepit illis b vehementer, ne quisquam id sciret,
 c & ne cui dicerent quid factum erat. f Et justit, ut da-
 reretur illi quod eederet. a Et emanavit rumor hic in totum
 terram illam.

Periocha hujus Historia.

OMnes tres Evangelistae hanc historiam ordi-
 untur particulâ *Ecce*, quæ hoc in loco non
 tantum est demonstrantium, sed potius admiran-
 tium, & singularem Dei providentiam ac bonita-
 tem considerantium. Cum enim Pharisei, facta
 conspiratione cum discipulis Johannis, Christum
 auctoritate Baptistæ tantum non opprimere cogi-
 tarent, Deus ipse mirabiliter Archisynagogum
 Christo adjungit, ut ita ad tempus impetus Phari-
 sæorum retundatur, & Christi ministerio adhuc
 diutius Capernaumi sedes concedatur. Quemad-
 modum etiam superius, postquam Pharisei cum
 Herodianis conspirassent contra Christum, ob sa-
 natam manum aridam ipso die sabbati, ita ut Chri-
 stus ad tempus secedere coactus fuerit, sicuti cap.
 Harm. 49. id tractatum est, mox cap. 53. Deus ei-
 dem Centurionem conciliat, cujus dilectum ser-
 vum decumbentem & morti vicinum, unico ver-
 bo sanitati restituit, ut ita Centurionis auctoritate
 reliquorum malitia compesceretur. Habet itaque
 Jesus jam Capernaumi tres fautores & patronos ex
 tribus ordinibus. Unum, ex regia familia Hero-
 dis: *regulum*. Alterum ex Caesarianis: *Centurionem*.
 Tertium, ex ipsis Judæis: *Archisynagogum*. Hoc ani-
 mum addat iis, qui vocationem suam sedulo obe-
 eunt, & propagandæ gloriæ Dei atque veritatis
 studio serio tanguntur, ac propterea multorum
 odia in se suscipere atque persecutiones sustinere
 coguntur, ut Deo confidant, qui quovis loco &
 tempore, mirabili occasione, patronos excitare
 potest ipsis, quorum patrocinio tuti esse possunt
 tam diu, donec cursum ministerii sui à DEO præ-
 definitum perficiant. Unde Salomon rectè di-
 xit: Cum placuerint Domino viæ hominis, ini-
 micos quoque ejus convertet ad pacem, Prov. 16.
 v. 7. Quod ipsum hoc exemplum non obscure
 docebit.

Nam Persona, quæ Christi opem hic implorat,
 ita describitur, quod ipsi nomen fuerit *Jai-
 ro*, quod significat illuminantem *יָאִיר* ab *יָרָא* lu-
 mine, & fuit aliàs nomen inter Judæos non inu-
 sitatum, ut Deut. 3. vers. 14. Numer. 32. v. 41.
 Jos. 13. vers. 30. Jud. 10. vers. 3. ubi est nomen ju-
 dicis, 3. Reg. 4. v. 13. Græci nomine Hebræo adje-
 cerunt suam terminationem *os*, ut pro *יאיר*, *יאיר-
 ος* dicatur. Dubium autem non est, hoc satis
 illustre nomen huic Archisynagogo spiritus &
 animum addidisse. Nam & alioquin Judæi opina-

bantur, se esse duces cæcorum, lumen eorum, qui
 in tenebris sunt, eruditorum insipientium, magi-
 stros infantium, &c. sicut ipsis objicit Paulus Rom.
 2. v. 19. Tribuuntur autem huic Jairo duo tituli ab
 Evangelistis. Nam 1. vocatur *ἀρχων*. Habuerunt
 enim & Levitæ ac Sacerdotes, & singulæ familiæ
 suos *ἀρχοντας* & primates. Ac supra cap. 28. Harm.
 monstratum est, in Evangelio sic vocari eos, penes
 quos fuit potestas judicandi in negotiis religionis
 & jus prehensionis. Et proinde Erasmus hoc voca-
 bulum latinè *primatem* reddere voluit, ut potesta-
 tem illam Ecclesiasticam cum politica mixtam
 exprimeret. Quo enim in loco apud Pontificios
 Primates habiti fuerint, non ignotum est. 2. Dici-
 tur fuisse *synagoge* ex *Archisynagogis*. Nam extra urbem
 Hierosolymitanam singulis Synagogis præfici-
 bantur, qui doctrinæ, morum & ceremoniarum
 essent magistri, quorum auctoritate & præscri-
 pto omnia in synagogis peragerentur ordine &
 decenter. Et apparet ex hoc loco, in populosis
 atque celebrioribus civitatibus plures uno fuisse
 Archisynagogos. Nam & Luc. 14. vers. 1. dici-
 tur, Christum venisse in domum *πρὸς τὸν ἀρχοντα*,
 unius alicujus ex primoribus, Actorum quoque
 18. legimus de duobus Archisynagogis apud Co-
 rinthios, qui per Paulum sunt conversi, v. 8. no-
 minatur Crispus, quem Paulus cum tota sua do-
 mo baptizavit, v. 17. nominatur Sosthenes, qui
 postea unâ cum Paulo priorem Epistolam misit
 ad Corinthios, 1. Corinth. 1. v. 1. unde apparet,
 magnam fuisse hujus Jairi auctoritatem apud Ca-
 pernaitas, tanquam primatis & Archisynagogi.
 Constat autem hujus ordinis homines vel maxi-
 mè fuisse Christo infensos. Ideo Joh. 7. v. 48. di-
 cunt: Nam quis ex τὸν ἀρχόντων, ex primoribus cre-
 dit in eum? Et Joh. 9. v. 22. & 12. v. 42. consti-
 tuerunt, ut si quis Jesum confiteretur esse Christum,
 ex synagoga ejiceretur. Et tamen hic, cum videret
 filiolum in extremis versari, nec uspiam aliud me-
 dium, quo juveret, restare, vel tandem ipse quoque
 confugit ad Jesum, & ab illo opem petit. Hæc
 nus ergo securè Jesum neglexit. Jam verò lethalis
 filiæ dilectæ morbus, vel potius extrema jam mor-
 ribundæ necessitas, eum ad Christum compellit.
 Ita videmus ad quid profint adversitates & cala-
 mitates. Quando homines sunt instar equi &
 muli, sine intellectu, qui nolunt approximare ad
 Dominum benefactorem suum, cum adversitatibus,
 bus,

bus, ceu chamo & freno, constringit ipsorum maxillas, ut eos adducat, Psal. 32. v. 9. Et hoc est, quod Christus Luc. v. 14. 23. vocat, compelle intrare Jesh. 28. v. 2. dicit Deus, se facere opus alienum, hoc est, castigare homines, ut possit proprium opus facere, hoc est, ipsis benefacere. Cum enim Deus velit omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire, 1. Tim. 2. v. 4. Magnates autem hujus mundi in sua sublimitate sic sint suffocati, ut pauperem Christum non curent, necesse est, ut Deus per afflictiones veterum istum excutiat, quod evigilent & sobrii fiant ab ipsis laqueis diaboli, 2. Tim. 2. v. 26. Tum impletur illud Jesh. 26. v. 16. Domine, in angustia requisiverunt te, effundunt orationem, quando correctio tua adest. Atque hoc modo Deus etiam aliquos ex divitibus & potentibus convertit, convertit autem eos, tanquam ex profundo maris, Psal. 68. vers. 23. Quia potentes hujus mundi plus negotii faciunt Deo, ut ad salutem adducantur, quam pauperes. Itaque de nemine facile desperemus. Potest Deus, ultra quam nos credimus & speramus, variis occasionibus, miris adversitatibus, vel in ipso mortis agone aliquos impellere, ut qui per omnem vitam in veritate infantum instar titubarunt & fluctuarunt, subridenda tamen morte accedente, quæ simulationem & cantationem non admittit, abjectis & spreis reliquis omnibus ad solum Christum confugiant. Nec dubium est, quin in Papatu sint multi boni, qui per omnem vitam plurimum tribuant jejuniorum & peregrinationum meritis, oblationibus item missarum, in recessibus Divorum, indulgentiis multo arde redemptis, atque aliis meritorum operibus, non minus fortassis quam hic Primas extra crucem Leviticis suis sacris tribuerat: sed quando *ἀντιπροσέτις* ille *παιδοποιός* mors, omnes intimos conscientiae sinus excutens, accedit, tum demum sentiunt, istis nugis eam non pacari posse, ac proinde reiectis illis omnibus ad unum Christum Servatorem & mediatorem confugiunt, atque sic in sola gratuita misericordia Dei acquiescentes, in pace ex hac mortali vita emigrant. Hi salvantur, si poenitentia sit seria: sed tamen, quasi per ignem, 1. Corint. 3. v. 15. per ignem, non purgatorium, sed tribulationis. Stipula enim illa, foenum & ligna humanorum operum & meritorum exuruntur; manet autem fundamentum, Christus, extra quem nullum aliud poni potest.

Sic ergo Jairus, adversitate compulsus, confugit ad Christum, quem securè neglecturus fuisset, si absque filiole morbo fuisset. Unde vehementer dubito, utrum de ejus fide pronunciare auctum, quod fuerit sincera: certè neque Regii neque Centurionis fidem ulla ex parte æquavit. Sed videtur fuisse *ἀποπροσέτις* & temporaria. Multum deprecabatur Dominum ut *veniret*, & *manum filie imponeret*, *qua sanaretur* & *viveret*. Nam hypocrisis est loquacula, verbis vult explere, quod sinceritati cordis deest. Fides autem non est verbosa: sed tria vel quatuor verba ex sinceritate cordis prolata, ei sufficient. Et infra Luc. 13. v. 14. audimus, quòd Archisynagogus indignatus fuerit, quòd Christus Sabbatho sanasset: qui si fuit hic Jairus, ipse Christus eum ibi hypocritam vocat. Ap-

Harm. Tom. I.

paret itaque, hunc Jairum, non tam fide in Christum, quam charitate erga filiolum impulsam, Christum accessisse. Erat enim hæc ei unica filia duodecim ferè annorum. Quia unica soboles semper magis diligitur, quam ubi quis plures unam habet: & quando à primis annis eò usque sunt liberi educati, ut jam pubescere, se ipsos curare, atque parentibus inservire incipiant, tum eorum jactura est tantò acerbior. Affectus quidem amoris per se non malus est: siquidem Deus ipse *σπυγὰς* naturales implantavit pectoribus parentum. Idque in eum finem, ut in liberorum salutem invigilent, eosque per eruditionem & correptionem Domini educent, Ephes. 6. vers. 4. *ἀσπυγὰς* verò & charitatis expertes, Deus ipse in verbo suo damnat, Roman. 1. v. 31. & 2. Timoth. 3. v. 3. Caveant tamen parentes, ne amoris affectu ducti, plus sollicitudine fatigentur, ut liberos ad opes & honores provehant, quam ut ad pietatem eos assuefaciant. Debat quoque hic affectus charitatis inter parentes & liberos esse reciprocus. Sed, pro dolor, verum est illud usitatum: Amor descendit, non ascendit. Hinc sæpius in Evangelio legimus, parentes pro liberis morbo correptis ad Christum accurrisse, ejusque opem sollicitasse: de ullo autem filio vel filia, quæ pro parentibus intercessissent, nusquam legimus. Excepto eo, quod supra cap. 38. Harm. de agrotante socru Petri audivimus, quòd domestici pro ipsa intercesserint. Experientia etiam testatur, multos liberos parentes senio confectos negligere, illorum morbis non contristari, imò eorundem mortem avidè expectare, ut bona ipsorum laboribus & sudoribus acquisita dilapidare possint.

Qualiscunque autem fuerit hic Archisynagogus, Christus tamen ad ipsius petitionem se facilem præbet, *mox surgit*, sive id fuerit à convivio Matthæi, sive à disputatione cum discipulis Johannis & Phariseis, nec exprobrat ei hostiles Phariseorum & Scribarum animos. Sed, quia antehac dixerat, hunc esse suum cibum, ut faciat voluntatem ejus, qui ipsum miserit, & ut opus ejus perficiat, Joh. 4. v. 34. Et postea Joh. 6. v. 37. promittit, se neminem velle foras ejicere, qui ad se veniat: iccirco etiam hunc Jairum venientem suscipit, atque imbecillum ipsius fidem, quantum in se est, fovet & confirmat. Hanc facilitatem imitentur omnes, quotquot sunt de familia Christi, ut consilio & auxilio promptè succurrant omnibus, quicumque eorum opem implorent, nec vel veteres injurias exprobrant, vel alia proferant, quæ contra charitatis leges pugnare videntur. Cumque Christus adeò facilis fuerit, cum adhuc mortali carne indutus in his terris versaretur: qui fit, quod aliqui eum jam tam durum, difficilem & inexorabilem sibi imaginentur, ut nisi per Divos cœlites intercessores exoretur, se nihil impetrare posse putent? Cum tamen Paulus de ipso in cœlis ad dextram Dei regnante pronunciet: Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: cum ipse tentatus sit per omnia in similitudinem nostri, sed absque peccato, Heb. 2. v. 17.

Porrò quia hic Christus, in uno quasi actu duo miracula conjungit, in quibus summam omnium suorum beneficiorum nobis ob oculos ponit,

Q99 4

os

nos quoque ea in explicatione jungemus, & ordine monstrare conabimur, quid potissimum nos docere voluerit,

Ante omnia autem nobis in memoriam revocemus, quid non ita pridem Jesus, cum ex Naim rediret versus Capernaum, in via inter alia dixerit, Matth. 11. vers. 25. Nimirum: *Confiteor tibi pater, Domine caeli & terrae, quia abscondisti haec a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis: Etiam Pater, quoniam sic fuit placitum coram te.* Quibus verbis docuit, se sui regni mysteria & beneficia longè citius innotescere, manifestari, & suscipi, ab humilibus, abjectis & in mundo spretis hominibus, quàm à doctis, divitibus & potentibus. Ejus dicti veritas in hac historia comprobatur, & viva exempla ante oculos statuuntur. Si enim duæ hæ personæ, Jairus & muliercula ægra, inter se conferantur, *Jairus* quidem fuit vir maximæ autoritatis, primas inter doctos, illuminatus & rector Collegii Judaici, qui legem Dei aliis proponebat & explicabat, seque Magistrum reliquorum profitebatur. *Mulier* autem fuit humilis & ignobilis conditionis, aliquando quidem dives, sed per morbi violentiam ad summam paupertatem reducta, nec ita in lege exercitata, sed quæ annos suos in œconomicis laboribus consumserat. Imo, si Eusebio fidem habere velimus, fuit (ut ipse scribit lib. 7. cap. 17. Ecclesiastica historia) fœmina gentilis, oriunda ex Cæsarea Philippi, adeoque veri Dei ignara. Ita ut hæc mulier, in collatione ad *Jairum*, ex sancto Abrahami semine oriundum, verè fuerit parvula, una ex infantibus & lactentibus. Et tamen in vera agnitione Jesu Christi & firma in ipsum fide *Jairum* longè superat: ita ut in quo hanc docere debuerat, ipse ab ea discere cogatur. Nam etiam hac de causa Christus per divinam suam providentiam totum hoc negotium ita dispensat, ut in media via hæc mulier ad Christum veniat, & ab ipso miraculose sanetur, quò infirmus *Jairus* in sua fide confirmetur. Etenim *Jairus* magnificentius de Jesu tum non sensit, quàm quod instar magni alicujus Prophetæ, quales fuerint *Elias* & *Elifæus*, mirabili dono sanandi homines à Deo fuerit ornatus: qui si manum ægro imponat, & ardentes ad Deum preces fundat, ab eo sanitatem amissam rursus impetrare queat. Hæc verò mulier, licet ore illud non profiteatur, re ipsa tamen & firma fide ostendit, se homine quid majus in hoc Jesu agnoscere: sive ex opinione gentilitia, ipsum pro Deo aliquo, sive ex institutione Judaica, pro Messia habuerit. *Jairus* quoque fide sua non ulterius progressus est, quàm quod Jesus sanare possit, si manus filiae imponat, idque faciat antequam ea expiret. Nam quòd etiam mortuam suscitare queat, id ipse nondum credidit. At hæc fœmina constanter & firmiter de ipso credit, quòd non tantum vulgares, sed & inveteratos, adeoque aliis hominibus incurabiles morbos sanare possit, quòd nihil aliud est, quàm mortuos resuscitare: & quòd hoc præstare possit, non tantum precibus impetrata virtute à Deo, sed propria sua & sibi indita virtute. Ideoque statuit, si tantum simbriam vestimenti attingere possit, fore ut virtute ejus sanetur.

Et licet hæ personæ in eo convenient, quod

neutra sponte, sed utraque extremo & deplorato morbo, tanquam flagello quoque, compulsa ad Christum accesserit: in eo tamen rursus est magnum discrimen, quòd *Jairus* Jesum, jam ultra annum Capernaumi commorantem, & in Synagoga ipsius aliquoties docentem, secure neglexit, neque unquam eum aditurus fuisset, nisi lævitiæ morbi filia eum adegisset: hæc tamen mulier, cum audisset de Jesu, cujus fama, per miracula excitata, ad Gentes quoque usque emanabat, mox venit, & quidem à Cæsarea Philippi, Capernaum usque per miliaria sex vel plura, ut ejus virtute restitueretur. Ita manifeste videmus, quomodo cœlestis Pater eligat ea, quæ coram Mundo sunt stulta, infirma & contemptibilia, 1. Cor. 1. v. 27. Et illis sæpe revelat, quæ coram oculis sapientum sunt abscondita. Quæ cum ita sint, qui fit, quòd plerique hominum religionis veritatem inquirentes, oculos suos conjiciunt in *Jairus* hujus mundi, nolentes cujusquam informationem admittere, quam eorum Doctorum, qui hisce titulis gaudent, quòd sint illuminati, Seraphici & Cherubini? Quare respiciunt tantum ad ea, quæ coram mundo sunt elata? Cur cœlestem doctrinam haurire cupiunt ex lacunis Philosophiæ humanæ? Verum sane est, Deum etiam doctos & præclaros viros cœlestis suæ doctrinæ radiis illuminare, & ad mysteriorum agnitionem admittere: sed tantum, TANTUM ad ejusmodi summis titulis ornatos Doctores veritatem alligare velle, quasi nusquam alibi inveniri queat, id sane est erroneum, & *μολογῆσαι* Christi contrarium. Et quis non malit cum supplici hæc & abjecta muliercula in Christo veritatem sequi, quam cum mille *Jairis* in hypocrisi & errore perire?

Quinam vero sunt illi articuli, qui tanquam mysteria regni Christi ne sapientibus quidem natura patent, sed per spiritum Christi, mediante verbo, tam sapientibus quam insipientibus revelantur? Eos ordine, quos quidem hæc historia nobis in manus præbebit, videbimus.

I. Primus est, quòd hæc historia considerandum proponit, non tantum quæ & quantæ sint miseriarum humanarum vitæ in hoc mundo, sed & quæ vera earum causa. Et quidem quòd ipsas miseras attinet, eas omnes homines, cujuscunque sene sint ætatis, ordinis, sexus & conditionis, experiuntur. Sunt iis subjecti, mares cum fœminis, divites cum pauperibus, Ecclesiastici cum politicis, docti cum idiotis, senes cum junioribus. Est hic *Jairus* vir doctus, Ecclesiastici ordinis, summæ inter *Judaos* existimationis. Habet is ex benedictione Dei filiam unicam, delitium animi sui: quæ, quia jam agebat annum duodecimum ætatis, secundum morem *Judaorum* propemodum nubilis erat. Unde bonus ille vir sperat, se propediem acquisiturum generum, habiturum nepotes, sicque mille intra annum concipit gaudia. Sed præter omnem expectationem accedit mors, quæ ipsam ei eripit, sicque lætam spem omnem in meram convertit tristitiam. Nec dubium est, quin in illa consternatione constitutus judicaverit, se omnium hominum esse miserimum. Sed postquam domo egressus venit in turbam, deprehendit, se non solum cruce premi, sed & alios itidem miseris & calamitatibus oppressos esse. Invenit .i. ibi

ibi mulierem Hamorrhousam, quæ agrotarat, & quidem fœdo morbo, fluxu sanguinis, tot annos, quot filia ipsius nata erat. Quæ miseria longe major fuit, quam vel ipsius, vel filia. Nam, Syracide teste, cita mors melior est, quam amara vita: & requies æterna, quam languor perseverans, cap. 30. vers. 17. Et quod de duabus hisce personis hic audimus, illud de toto hominum genere statuendum est. In hac enim vita nemo, sive summus sit, sive infimus, à communi sorte miseriarum exemptus est. Differit hæc de re copiose Job. cap. 7. vers. 1. & sequentibus. Item cap. 14. vers. 1. Ita ut cap. 5. vers. 7. dicat: Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum: Et Syracides cap. 40. vers. 1. testatur, grave jugum impositum esse omnibus filiis Adam, à die exitus de ventre matris, usque ad diem sepulturæ in matrem omnium, tam in iis, qui resident in sede gloriosa, quam in iis, qui humiliati sedent in terra & cinere: tam in eo, qui vestitur holoferico, & portat coronam, quam in eo, qui operitur lino crudo. Et quidem miseriae atque calamitates senserunt & agnoverunt quoque Ethnici. Unde tot & tantæ querelæ in ipsorum libris inveniuntur. Ipsam verò causam istarum miseriarum penitus ignorarunt. Conjecerunt quidem culpam alii in materiam, quæ semper sit fluxa & mutationibus obnoxia: alii in cœcæ fortunam, quæ sic oberret, & in rebus humanis ludat: alii in aliud quid. Veram causam sola Scriptura nobis aperit, quæ docet, Deum creasse hominem inextremabilem ad imaginem suæ similitudinis. Invidia autem Diaboli mortem introisse in orbem terrarum, Sap. 2. vers. 23. Et Paulus dicit ad Roman. 5. vers. 12. Peccatum per unum hominem intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Hoc Jairo Synagoga prædidi, non fuit ignotum. Ex Mose enim suo didicit, Genes. 2. vers. 17. Quocumque die de arbore prohibita comederis, morte morieris. Mortis autem nomine, non tantum ipsam animæ & corporis separationem, sed & morbos, adeoque omnes calamitates & afflictiones, præsertim graviores, intelligendas esse, ipsi Judæi ex Scripturæ phrasi noverant. Agnoscebat itaque Jairus ex doctrina Legis, causam mortis filiola suæ peccatum, tum illud in quo concepta & nata fuit, juxta Psalm. 51. v. 7. tum reliqua, quæ ipsa in juventute commisisset, juxta Psalm. 25. vers. 7. Nam quando iniquitates nostras Deus ponit in conspectu suo, & ignorantias nostras in illuminatione vultus sui, tum deficiunt dies nostri, & nos ipsi in ira ejus defecimus, Psalm. 90. vers. 8. Quod vero fluxum sanguinis in muliere attinet, si fuit Ethnica, ignoravit veram ejus causam & originem: si fuit Judæa, ex Mose itidem eam discere potuit. Nam profluvio sanguinis Deus sexum muliebrem mulctavit ob transgressionem Evæ, eo quod ipsa prior in pravaricatione fuisset, 1. Timoth. 2. vers. 14. & ipsum etiam virum suis persuasionibus seduxisset, Genes. 3. vers. 6. Ideo etiam hic morbus hoc in loco vocatur *μαστίς*, *flagellum*. Neque enim hujusmodi morbi & calamitates sponte vel temere veniunt, sicut homines de causis Physicis somniant: sed à Deo castigante, pios quidem ut sanet, impios vero ut perdat. Et

Proverb. 19. vers. ultim. *μαστιγες & τιμωρια*, flagella & supplicia conjunguntur, ut innuatur, propterea illa à Deo immitti, ut de peccatis commissis nos commonefaciant, & ad pœnitentiam agenda ceu flagro compellant. Hinc sæpe fit, ut justo Dei judicio in corporis perniciem convertantur, quæ illi conservando fervire debebant. Sic hæc mulier ex fluxione sanguinis agrotat, cum aliàs naturalis ejus fluxus purgationi salubriter inserviat. Et in sanguine quidem, teste Scriptura, Levit. 17. vers. 14. vita hominis consistit: sed quando Deus nos ob peccata nostra punire vult, tum etiam in nobis ipsis reperit arma, quibus carnis ferociam coerceat. Debit itaque hic fluxus sanguinis commonefactio esse naturalis contaminationis, in qua omnes nascimur, & de qua Deus dicit Ezech. 16. vers. 6. se transeuntem vidisse nos conculcatos in nostro sanguine. Et hæc de causa Deus in lege sua sanxit, ut quæ profluvio sanguinis laborarent, pro immundis haberentur, & à caribus Ecclesiæ atque sacris publicis excluderentur, sicut videre est Levit. 15. vers. 19. & 20. vers. 18. Docens eo ipso ab æternæ salutis & regni Dei consortio arcendos esse eos, qui ab istis sanguinibus non liberantur. Psalm. 51. vers. 16. Hæc de causa etiam in Scriptura non tantum graviora scelera, præsertim quæ in damnum proximi tendunt, sed etiam spirituales mortem atque æternum exitum, per Metaphoram, *sanguines* vocantur, Jesa. 1. vers. 17. & 59. vers. 3. Manus vestrae polluta sunt sanguine. Esa. 4. vers. 4. Cum laverit Dominus sordes filiorum Sion, & abluerit sanguinem Jerusalem de medio ejus. Æternum autem exitum denotat, cum Ezech. 3. v. 18. Deus dicit, se impœnitentiam, si non moneantur, sanguinem requisitum de manu Prophetæ. Huc alludit Paulus Actor. 18. vers. 6. cum Corinthi Judæis contradicentibus diceret: Sanguis vester super caput vestrum, mundus ego; quasi dicat: Vosmet estis rei vestri exitii: Ego nullam culpam aut reatum sustineo spiritualis vestrae mortis, quam vos vobismet consciscitis, respuendo Evangelium Christi. Item Act. 20. v. 26. Contestor ego hodie, quia mundus suum à sanguine vestro, hoc est, plane nullam culpam sustineo æterni vestri exitii, si quis vestrum peribit. semper ergo in populo Dei fluxus sanguinis, & reliqui morbi ac flagella sive plagæ una cum morte, reales, ut ita dicam, fuerunt conciones, commonefacientes primi lapsus Adæ & Evæ, ex quo profluxit, quicquid peccatorum & malorum est in universo mundo, ad unicujusque mortem usque.

Itaque Christus hunc articulum in suo regno diligenter vult inculcari, ut de vitæ humanæ brevitate ac perpetuis miseriis probe instructi, non tantum securitatem omnem excutiamus, qua mundani homines laborant, sed etiam tanto majori cum aviditate de remediis horum malorum cogitemus & dispiciamus. Certe magna est miseria, & sanguineis lachrymis, si fieri posset, deploranda, quod ob peccati tyrannidem vita hominum omnibus calamitatibus ita est repleta, ut nulla dies plane earum expers prætereat. Ita ut regius Psaltestestetur, Ps. 90. v. 10. Optimum dierum nostrorum esse laborem & dolorem. Nam si maxime interdum lætior aliquis dies affulgeat, & fortuna adspiret mediocris, mox

mox tamen magno aliquo infortunio vel luctu interturbatur. Quemadmodum Nabuchodonosor eadem hora, qua in aula sua triumphavit, dicens: Hæc est Babylon, civitas magna, ejectus est ab hominibus, & scænum, ut bos, comedit, Dan. 4. vers. 28. Unde & vita nostra, Apocal. 4. v. 6. mari vitreo confertur ob fragilitatem: quia, quando maxime splendet, frangitur. Adeo, ut qui modo optime valent, & in mundo felicissimi videntur, sæpenumero subito, quando vel maxime omnium vivere cupiunt, per mortem abripiantur: sicuti accidit Balthasari Babyloniorum regi, qui in convivio opprimitur, Dan. 5. vers. 30. Hamano, qui ex convivio regio ad patibulum trahitur, Esther. 7. v. 1. Diviti Evangelico, Luc. 12. v. 20. Herodi, qui sedens pro tribunali, percussus est ab Angelo, & consumptus à vermibus expiravit, Actor. 12. v. 21. ut recte Syracides dixerit, cap. 19. v. 10. Rex hodie est, cras morietur. Ideo etiam vita nostra ob fragilitatem & vanitatem confertur umbræ, Job. 14. v. 2. vento celeriter transeunti, Psalm. 78. v. 39. Vapori à ventis discluso, Jac. 4. v. 14. pruinae ac nebulae à radiis solaribus consumptæ, Sap. 2. v. 3. Floribus pratorum & foliis arborum, Psalm. 103. v. 15. bullis in aquis intumescens & statim rursus evanescentibus, Hof. 10. v. 7. tugiis pastorum ac textorum telis, Esa. 38. v. 12. vanissimis denique hominum somniis, Job. 20. v. 7. Psalm. 73. v. 20. Præter hanc brevitem & vanitatem vitæ nostræ, sæpe etiam meditari debebamus, quinam essent fructus nostri. Arborea proferunt fructus homini gratos & acceptos: itidem animalia, quorum alia lac, alia lanam, alia aliud conferunt ad hominis sive ornatum, sive sustentationem. At nos ex nobis afferimus id, cujus muliercula hæc nos admonet, fœditatem, sanguinem, phlegmata, saniem, & alia fœda, quæ ab oculis hominum sunt removenda & solicite abscondenda. Et tandem, quando mors accedit, non tantum corpora nostra rigescunt, & decus ac formam omnem amittunt, sed & fœtida cadavera fiunt, ita ut ad aspectum etiam charissimorum horreamus, nauseemus, ac propterea festinemus, ut terra adobruantur, atque è conspectu hominum removeantur. Mundorum animalium & piscium caro, quando mactantur, ab hominibus absumitur: sed hominum carnem, quando mors eos jugulavit, non nobilia animalia, sed omnium adjectissima, vermes, bufones & serpentes absumunt, sicut Job. 17. v. 14. Syracid. 10. v. 13. de eo conqueruntur. Et Christus ipse Matth. 23. v. 27. inquit, sepulchra, quæ foris hominibus videntur speciosa, intus esse plena ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Hoc movit Salomonem, ut Eccl. 3. v. 19. conquereretur, unum esse interitum hominis & jumentorum, & æquam utriusque conditionem. Similiter spirant omnia, & nihil habet jumento amplius homo. Hoc est nimirum *ὄσθιον* & stipendium peccati, Rom. 6. v. ult. Hi sunt vermes enati ex jucundissimo illo Paradisi pomo, qui cor nostrum erodunt & vitam nostram absumunt.

II. Alter Articulus est, ut discamus, quænam remedia adversus hanc communem generis humani miseriam, & fonticas ejus causas quærere, & ubi ea invenire debeamus. Ratio humana quan-

do in miserias incidit, tum non in earum causas, peccata nimirum, respicit, neque apud Deum, sine quo nullum malum est in civitate, Amos 3. v. 6. malorum levamen quærir: sed tantum ad physica media recurrit, in natura & apud creaturas opem quærens. Videmus hoc in muliercula hæc, de qua Evangelistæ testantur, ipsam omnes suas facultates & omnem substantiam in medicos insumsisse, sed frustra. Et quidem est medicina præclarum DEI donum, quod Syracides cap. 38. magnifice commendat, & confirmat DEUM esse, qui tum plantis, tum aliis rebus innumeris salutares vites infeverit, & Medicos ingenii acrimonia & dexteritate donavit, ut occultam & ingentem creaturis vim indagare, atque ad usum hominum accomodare possint. Unde etiam à Paulo 1. Cor. 12. v. 9. inter *χαρισματα* Spiritus sancti refertur. Sed hæc ejus est ratio, ut quemadmodum, Scriptura teste, nec res domestica augetur, Psalm. 127. vers. 1. nec agricultura incrementum sumit, 1. Cor. 3. v. 7. ita nec medicina per se aliquid in bonum proficimus, nisi Deus benedictione sua remediis efficacitatem largiatur. Ideo de hac fœmina testantur Evangelistæ ordine hæc quatuor: 1. Quod *multa perpessa sit à compluribus medicis.* Sic enim fieri solet, ut ægri, undecunque fama aliqua de perito aliquo & exercitato medico ad ipsos deferatur, protinus animis eo inclinent, & ab illo se juvari posse sperent. Cum tamen postea re ipsa experiantur, multos medicos accersere, aliud nihil esse, quam *τὰ παθηµατα* accumulare: siquidem medice vivere, est pessime vivere. 2. Quod *insumserit & impenderit omnem suam substantiam.* Nam omnino Medico debetur honor, Syr. 38. vers. 1. quod vocabulum etiam honestum honorarium complectitur, pro labore medendi. Cum enim ex arte sua vivant, ad quam addiscendam multos sumptus facere coacti fuerunt, æquum est, ut pro beneficio valetudinis restituta remunerationem justam consequantur. 3. Quod *nihil adjumenti senserit.* Non enim est in medico semper relevetur ut æger: sæpe nocens docta plus valet arte malum. 4. Quod *subinde in deterius profecerit.* Hoc fit, quando homines contra primum præceptum plus fiducia collocant in medico, quam in ipso Deo, & quando peccata hominum merentur acriorem castigationem. Ibi tum nulla efficacia medicamentorum sentitur, donec tandem penitus expirant. Quod Asæ Judæorum Regi alioquin bono & pio accidisse, 2. Par. 16. v. 12. refertur. Ita muliercula: hæjus conatus hæcenus videmus esse prorsus irritos.

Quid vero Jairus? Hic Archisynagogus & legis Doctor, requievit in lege, gloriatus est in Deo, & novit voluntatem ejus. Docuit ergo non tantum alios de circumcissione, de decimis, jejuniis & sacrificiis: sed & ipse omnem fiduciam suam in illis collocavit. Verum cum mors tyrannide sua ingruit, atque ira Dei ipsum premit, re ipsa sentit & experitur, legem cum suis sacrificiis nec opulari nec liberare posse à morte. Lex enim tantum iram operatur, Ro. 4. 15. Et sunt lapideæ tabulæ legis nihil aliud, quam eos quædam, ad quam mors stimulum suum acuit. Stimulus enim mortis peccatum est: virtus vero peccati, lex, 1. Cor. 15. v. 56. Hinc fit, quod lex ob peccatum maledictionem in tonet omnibus, quia non permanserunt in sermonibus ejus, ut opere eos perficerent, Deut. 27. v.

27. vers. 26. Patet itaque ex utriusque exemplo neque in natura rerum, neque in lege Dei praesidii quippiam inveniri, per quod sive ipsa miseria nostra, sive miseriarum causa averti possit. Quarendus itaque alius opitulator, quem nobis ambæ hæ personæ monstrant.

Postquam enim mulier Medicos nihil posse præstare videt, ipsorum inscitia excitatur, ut ad Christum contendat, quem multis salutem contulisse ex celeberrima passim de ipso sparsa fama cognoverat. Idem Jairus, cum intelligeret sacrificia & vota esse frustranea, & per legis maledictionem mortis violentiam esse superiorem, quam quæ decimis vel ablutionibus Leviticis averti possit, quoque ad Christum properat, ut quem hætenus ob personæ exilitatem non magnopere curarat, nunc tempore necessitatis ipsius ope sublevetur. Diligenter autem attendendum, quid hæ duæ personæ in quærendo Christo fecerint. Sic enim & nobis viam monstrabunt, quam ingredi, & qualiter in ea ambulare debeamus, si ex miseriis liberationem querere velimus? Juxta illud Pauli, Hebr. 4. v. 16. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ: ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Invenimus autem in his duabus personis tria: 1. Quod earum utraque miseriam suam, & mulier quidem incurabilem suum morbum, Jairus vero invincibilem mortem, serio agnovit: atque de externis sive mediis sive remediis, tam in natura, quam in ope hominum, vel ipsa lege Dei positis, penitus desperavit. 2. Quod consilium & auxilium quæverint, apud cœlestem medicum Jesum Christum, in quem hanc fiduciam collocarunt, quod tanquam mitis, bonus & misericors Dominus neminem repellat, qui ipsius ope indigeat, & quod tanquam omnipotens Dominus divina & cœlesti ope sit instructus, ut tum demum juvare incipiat, quando humanum auxilium desinit. Et licet hæc ipsa fides de Christo in Jairo longe sit infirmior, quam in mulierecula: tamen etiam infirma fides est fides, & Christus eam diligenter fovet, atque succurrit imbecillitati Jairi, ut in fide confirmetur. 3. Ipsa quidem mulier firma fide attingit fimbriam vestimenti Christi, sicque sanatur. Jairus autem cum suis infirmior est, quam ut manus extendat ad apprehendendum Christum. Ipse itaque Christus extendit manum suam, apprehendit manum puellæ defunctæ, eam vocat, sicque vitæ restituit.

Hæc imitanda sunt iis, qui ab innato morbo originalis peccati, quod indefinenter in corde nostro tumultuatur, & ex quo, tanquam ex malo fonte, non tantum omnia peccata actualia, sed & omnes calamitates, miseriæ, morbi, ac denique mors ipsa profluit, liberari cupiunt. Confugiendum est ad Christum Jesum, unicum humani generis Auxiliatorem. Hic est fons ille, de quo Propheta dicit, Zach. 13. vers. 1. Quod futurus sit fons patens domui David & habitantibus Jerusalem: In ablutionem peccatoris & menstruatæ. Apud hunc Deus pater deposuit omnem plenitudinem, ut ex ea nos omnes accipiamus gratiam pro gratia, Johan. 1. vers. 16. Ex ipso necesse est ut exeat virtus, quæ nos sanat ac servet. Sed

attende, quomodo & nos, ad imitationem horum, Christum accedere debeamus. 1. Agnoscamus morbum nostrum & miseriæ, & quod ex illis, neque nos ipsos eripere, neque ab aliis eripi queamus. Et hic est primus gradus, qui ad quærendam veram medelam nos impellit. Quamdiu enim curari volumus vel per nos ipsos, vel per alios, & impendimus argentum nostrum, ubi non juvatur, & laborem nostrum, ubi non satiamur, Jesa. 55. vers. 2. tamdiu nullum levamen malorum sentimus, adeo ut subinde in pejus proficiamus, sicuti mulieri huic accidit. Hoc ita se habere fatebuntur illi, qui superiorum temporum acta, quibus Antichristianæ tenebræ orbem occuparunt, animo recolligunt. Ibi tum homines miserimum naturæ morbum intra conscientias suas senserunt, sibi que remedio opus esse agnoverunt, illudque magnis laboribus & impensis quæverunt. Hinc accumulatae sunt ceremoniæ & traditiones humanae, & in Ecclesia excogitatae variae viæ & rationes, quibus homines justificentur & a peccatis liberentur. Alii peregrinationes instituerunt ad loca sancta sepulchri Dominici, Jacobæi, vel aliorum Divorum: alii tentatæ conscientia levationem quæverunt in cucullis monasticis: alii quotidianas missas mercati sunt, cereos sanctis accenderunt, bullas indulgentiarum coemerunt: alii jejuniis, flagellationibus, humi cubationibus, veterem Adamum domare voluerunt: alii in templorum, sacellorum & monasteriorum foundationibus multum fiduciae collocarunt: alii aliis modis conscientiam, mille tentationibus exagitatam & oppressam, pacatam reddere conati sunt, prout quisque in diversos animæ medicos incidit. Sed quid profecerunt? Tantundem, quantum hæc fœmina, quæ expensa omni sua substantia in medicos nihil quicquam adjumenti sensit. Ita ipsi, dum male fidos animarum curatores monachos suis bonis ditarunt, seque ipsos cum suis in voluntariam paupertatem conjecerunt, nihil quicquam tamen consolationis intra conscientias suas senserunt: sed vel in dubitatione, vel sæpe etiam in desperatione vitam cum morte commutarunt, incerti utrum in cœlum, an in purgatorium, an vero in infernum post exitum ex hac vita venturi essent. O miseriam! Quæ omnis inde provenit, quod primum hunc gradum recuperandæ spiritualis sanitatis ignorarunt, quo agnoscere debuissent, hunc fontem & fluxum malorum, nullis humanis viribus, aut ullis ab hominibus excogitatis remediis depelli posse, nisi cœlestis medicus accedat. Quapropter 2. alterum gradum huic priori addamus, qui est, ut ad illum qui Exod. 15. vers. 26. Israelitis dicit: Ego sum Dominus DEUS sanator vel Medicus tuus, confugiamus. Huic enim Spiritus sanctus in scripturis testimonium præbet, quod non sit in alio quoquam salus, nec aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, Actor. 4. vers. 12. Debet quidem lex omnibus pædagogus esse ad Christum, Galat. 3. vers. 24. Quia vero plerique, dum rebus secundis fruuntur, Christum secure negligunt, sicut fecit Jairus: ideo DEUS immittit morbos, calamitates, denique mortem ipsam, utque utitur tanquam flagellis, quibus ad quærendum hunc animæ Medicum

cum compellamur, siquidem alia ratione ad ipsum approximare nolumus, Psalm. 32. ver. 9. Hic medicus salutare remedium adversus lethalem nostrum morbum nobis paravit in ara crucis, quando vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra, Esa. 53. v. 5. Ibi aperto ipsius latere, ex quo profluxit sanguis & aqua, Johan. 19. v. 34. fons patefactus est domui David & habitatoribus Jerusalem, in ablutionem peccatoris & menstruata, Zach. 13. ver. 1. Sanguis enim Jesu Christi filii Dei emundat nos ab omni peccato, 1. Ioh. 1. v. 7. Hoc remedium non magna pecunia redimitur, non multis impensis comparatur, sed gratis datur omnibus venientibus, datur absque argento, & absque ulla commutatione, Jefa. 55. v. 1. Apoc. 22. v. 17. Ideo supra Matth. 11. v. 28. amicissime invitavit ad se omnes laborantes & oneratos, promittens, se eos reficere velle. Hic ergo habemus Medicum, qui morbos animæ & conscientiarum plenè & perfectè curare potest. Hunc quæramus, ad hunc properemus omnes. Nemo ulterius utatur consilio istorum circumforanorum, qui tantum nos emungunt pecunia, nec quicquam refectionis addunt. Huic medico adhareamus, & quò tantò constantius illud fiat, intueamur exempla eorum, qui ipsius ope sanati sunt, (sicut Jairus vidit exemplum mulierculæ sanatae) & non mediocriter confirmabimur. 3. Quando ergo jam didicimus, quis sit ille noster Medicus, tunc etiam ad eum accedendum, & *fimbria vestimenti ipsius attingenda*. At ubi eam inveniemus, ut tangamus? Num ascendendum in cælum? Num eundem Compostellam? Aut ad vacuum sepulchrum? Aut ad alia loca, in quibus monstratur tunica Christi? Minimè gentium. Hæ enim sunt deceptiones hominum. Sed accedendum ad verbum & Sacramenta: hisce sese alligavit & quasi circumvestivit, ibi quæri, ibi in veniri vult. Huc respicit Paulus, cum Roman. 10. v. 6. ex Deut. 30. v. 12. inquit: Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum? id est Christum deducere. Aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus. In baptismo itaque invenimus vestimentum salutis & indumentum justitiæ, quod non tantum attingimus, sed quo ipse nos induit & circumdat, ut sublata omni immundicia tanquam sponsus coronâ decoratus, & quasi sponsa monilibus suis ornata, coram cœlesti Patre compareamus mundi, sine omni ruga, macula aut quoquam ejusmodi, Jefa. 61. v. 10. Ephes. 5. v. 27. In sacra autem ipsius cœna participes reddimur veri ipsius corporis & sanguinis, quibus ceu manu è cœlis protensa non tantum nos attingit, sed & voce sua quasi è media morte evocat, dicens: Amen, amen, dico vobis, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die, Joh. 6. v. 54. Participatione itaque corporis & sanguinis ipsius, ita cum ipso unimur, ut communio nostra sit cum Patre, & cum filio, 1. Johan. 1. ver. 3. & simus ubi ipse est, & videamus claritatem ipsius, quam dedit ipsi Pater, Johan. 17. ver. 24. Hic totus articulus rationi humanæ est ignotus: sed in schola Christi eum ad-

discimus, ejusque cognitione ex omnibus miseriis peccati, mortis & diaboli eripimur, atque ad æternam vitam adducimur. Hæc enim est vita æterna, ut cognoscamus Patrem verum Deum, & quem milit. Jesum Christum, Johan. 17. ver. 3. III. Tertius articulus est quidem cum precedente conjunctus: sed tamen docendi gratia separatim tractari potest, ut discamus, qualiter fiat applicatio medicamenti, quod hic cœlestis medicus pro sanandis animabus nobis attulit. Dicitur jam est, fieri eam contactu vestimentorum ipsius, hoc est, auditu verbi & usu Sacramentorum, quibus Christus seipsum quasi involvit & circumvestivit, ut in mysterio ipsius participes fieri queamus. At verò, sicut in hac historia multi Christo appropinquant, eumque tangunt, adeoque ipsum (sicut Petrus dicit) *constringunt atque afficiunt*, & tamen nullam virtutem ex ipso sentiunt, sed sola scœmina, quæ humili fide prædita, eum attingit, ipsius beneficio sanatur. Ita quoque in Ecclesia multi Christo approximant, externis auribus verbum salutis excipiunt, ore suo Sacramentum corporis & sanguinis ipsius manducant & bibunt, verbis quoque se Christianos esse profitentur & gloriantur: nullam tamen efficaciam ex eo percipiunt, nec sentiunt fluxum illum peccatorum suorum sisti & exsicari. Unde illud? Quia destituunt vera fide, quæ sola ex hoc fonte haurit gratiam pro gratia. Qui ergo sine fide Christum adeunt, quales adveniunt, tales rursus discedunt, sine peccatorum remissione, sine consolatione, morbis suis adhuc obruti. Mundus semper vult gratiæ Dei particeps fieri per opera. At Christus hic opus nec requirit, nec respicit: sed tantum fidem. Etenim quò ad eò diligenter, & quidem iteratis vicibus inquiri, quis se tetigerit: cumque Petrus affirmaret, mirari se, quod inquirat de contactu, cum undique turbæ comitantes eum constringant: Ipse tamen Dominus noluit desistere, donec eam quasi ex latebris protraheret, atque ad ingenuam confessionem adigeret. Id postquam factum, non dicit: Confide filia, opus tuum, quo me secuta es, aut quo sine manu sive corpore me attigisti, sed *fides tua te servavit*. Innuens solam fidem, dextram illam animæ manum esse, qua ipse ad salutem ab hominibus apprehendatur. Tu ergo, si & ipse salutis in Christo particeps fieri velis, Christum constanti & firma fide attinge: crede firmiter, ipsum propter te, ut & propter alios peccatores, in hunc mundum venisse; propter te ignominiosam crucis mortem subiisse. Et quòd morte sua non sibi, sed tibi peccatorum remissionem impetrarit, iram cœlestis Patris, quem tu peccando offenderas, sedarit, eumque tibi reconciliarit. Crede insuper firmiter & statue indubitanter, quòd te ad se fugientem benignissimè suscipere, te sua justitia & obedientia contra rigorem judicii divini protegere, omnipotente sua virtute à spiritali tuo morbo te sanare, atque efficere velit, ut re ipsa sentias & experiaris, quòd propter ipsius meritum justus & innocens Dei filius factus, hæres scribaris vitæ æternæ. Itaque verbum Dei audi non obiter, neque carnalibus auribus, sed toto pectore & corde, illi constantiter adhære, & in ipsum omnem tuam fiduciam colloca. Si hoc feceris, senties in anima & conscientia tua virtutem Dei, & quomodo per operationem

nem Spiritus sancti, subinde proficias in vera pietate. Est enim Evangelium Dei virtus & potentia ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16.

Est ergo consideratione dignum: 1. Quomodo in hac historia describitur fides confugiens ad Christum, quarens in illo & inveniens remedium adversus fontem sanguinis. 2. Quomodo eadem à Christo recipiatur, atque in ipso id, quod quasi vitæ assequatur. Hoc enim exemplum ad alia, præsertim ad illud peccatricis, quod supra c. 57. tractavimus, collatum, doctrinam fidei egregie illustrabit. Est enim hic Salvator nobis miseris mortalibus à Deo datus est, non potissimum eo fine, ut à corporalibus malis nos liberet, sed ut spiritualia mala, qualia sunt peccatum, diaboli tyrannis, maledictio legis, & æterna damnatio, removeat; tamen etiam temporalia mala vel mitigat vel tollit interdum, ut tantò rectius in spiritualibus ipsi confidere discamus. Primò itaq; hæc fœmina tum demum ad Christum confugit, postquam de aliis mediis omnibus desperavit. Ita quoq; quando nos hæremus circa naturales vires, aut opera & merita, sive nostra, sive sanctorum, tanquam imperitorum medicorum, & ex iis aliquid subsidii adversus mortem & damnationem speramus, Christum securè negligimus, nequicquam levaminis sentimus. Itaque de istis omnibus desperandum, & animus à mundanis in universum avellendus, atque ad solum Christum, convertendus est. Accessit autem hæc fœmina ex bona fiducia: quia fama de Christo sparsa testificata est, ipsum adeò benignum esse, ut omnibus se in jucundo facili præbeat, adeò potentem esse, ut nullus unquam ab ipso discescerit, cuius malis non adhibuerit remedium. Hæc eadem fama de Christo per Evangelium etiam ad nos dimanavit, quæ in nobis fiduciam illam de bonitate & potentia ipsius excitare & confirmare debet. Ipse enim dixit: Neminem venientem ad me, repellam, Joh. 6. v. 37. Item: Mihi data est omnis potestas in coelo & in terra, Matth. 28. v. 18. Hæc ipsa tamen fiducia non caret sua lucta. Sunt enim in animis eorum, qui Christum accedunt, mixti motus dubitationis & fidei. Etenim fidei, à Spiritu sancto per auditum verbi excitata, reluctatur caro, subinde de sua impuritate & indignitate cogitans, ac metuens ne propter illam à benignissimo hoc Domino repellatur. Ideò hæc fœmina à tergò accedit, & clam vestimentum ipsius attingit, verecundia immunditiæ suæ detenta, ne aperte apud Christum quæreret, quod ab ipso sperabat. Et hæc quidem faciebat fœmina. Quid verò Christus? Ille omniscio divinitatis suæ oculo omnia exactissime prospiciebat, quænam secum in animo hæc fœmina agitabat, & quod clam moliebatur. Et Jairus quidem legis Doctor, si ipsi de ea constitisset, nequaquam hanc fœminam in turbam, nedum ad contactum admisisset: siquidem secundum legis præscriptum immundus reputabatur omnis, qui hujusmodi mulierem, ex profusio sanguinis laborantem, attingebat, Lev. 15. v. 20. Sed Dominus Jesus non tantum eam facillè admisit, sed & è vestigio salvificam virtutem ipsi ex se communicavit, unde fons sanguinis siccaretur, & ipsa à flagello suo sanaretur. Mox, ne beneficium hoc lateret, inquirat de contactu. Et licet hæc inquisitio discipulis ridicula videretur, eò quòd à

Harm. Tom. I.

turba comprimeretur: tamen ipse inquirendo instat tamdiu, donec ipsa fœmina quasi ex latebris protraheretur. Hoc verò non fecit, ut miseram confunderet, sed ut latentis fidei vim & efficaciam ignorantibus considerandam proponeret. Ipsa quidem timet ac tremit, metuens ne rursus eriperetur ipsi, quod indigna quasi clam surripuisset. Sed benignissimus Dominus, illam consolatur, præsentis animo esse & bene confidere jubet, filiam insuper eam vocans. Quod ipsum fecit in eum finem, ut dubitationes carnis expellat, & fidem in pectore confirmet. Sic etiam Matth. 9. v. 2. paralyticum in fide infirmum confirmat. Et sæpè adhuc hodie, in fide titubantes ac tremescentes in lucem protrahit, quo intra conscientias suas exhilarati, publica salutis & gratiæ divinæ sint exempla. Denique, certò ut constet, nullum aliud esse medium applicationis, per quod gratiæ & salutis in Christo participes fiamus, quam ipsa fides, disertè dicit: *Fides tua te servavit, vade in pace.* Nec sunt pugnantibus inter se duæ hæc propositiones. Virtus exiens ex Christo sanavit hanc mulierem. Et: fides mulieris eam sanavit. Utrumque enim verè & rectè dicitur. Virtus enim Christi hoc propriè facit, tanquam causa efficiens salutis nostræ. Si quidem extra Christum non est salus, Actor. 4. v. 12. Fides autem id facit, tanquam causa instrumentalis. Neque enim alio instrumento Christum ad salutem apprehendere possumus. Sicuti hoc perpetuus scripturæ consensus testatur: quòd omnis, qui credit in filium, Joh. 3. v. 16. non pereat, sed habeat vitam æternam, Joh. 5. v. 24. non venit in iudicium, sed transit à morte in vitam, Act. 13. v. 39. In Christo omnis, qui credit, justificatur. Et Paulus Rom. 3. v. 28. post satis longam disputationem concludit, hominem justificari gratis per fidem, absque operibus legis.

Habet quidem hic Articulus multas objectiones, tum ex ratione, tum ex adibus Archisynagogi, & minùs recto intellectu legis. Ratio enim organit & dicit: In morte alterius vanum est sperare salutem. Quomodo Christi mors vitæ potest esse causa? Sed scriptura docet, Christum non tantum esse mortuum, sed & resurrexisse, & sedere ad dextram Dei, unde per verbum & sacramenta, tanquam per canales, virtus mortis Christi, quæ est vita æterna, Rom. 6. v. 23. ad nos derivatur, quam nos firma fide excipimus. Ut ergò olim in deserto illi, qui ab ignitis serpentibus lethaler vulnerati erant, quando serpentem æneum aspicebant, vitæ restituebantur: Num. 21. v. 9. ita quicumque spiritualibus oculis fidei Christum pro se crucifixum, mortuum & resuscitatum inveniunt, non pereunt, sed habent vitam æternam, Joh. 3. v. 15. At hic insurgunt operum exactores, & contendunt, si fides ad spiritualem vitam & salutem sufficit, cur in Jairo virtus illa se non exercuit; cum & ipse fidem habuerit & notitiam veri DEI, creatoris mundi, qui Israellem eduxerat ex Ægypto? sed apud veros Christianos responsio facilis est. Fides salvifica, de qua hic agimus, non est tantum notitia historiæ, qualem habuit Jairus, & quam etiam Diabolos habere Jacobus testatur, c. 2. v. 19. qui tamen contremiscunt: sed est fiducia bonitatis & fiduciæ DEI patris in Christo JESU, cum applicatione ad suam personam, qualem

Rrr

qualem

qualem in foemina hac vidimus. Qui ergo fidem aliam nullam noverunt, quam quae sit nuda quaedam & inanis opinio animo concepta, non est mirum, illos nullam ejus efficaciam perferentescere. At qui Christum talem complectuntur, qualem scriptura eum nobis proponere solet, tanquam ejusmodi Salvatorem, ex quo omnia, quae ad corporis & animae salutem spectant, hauriamus, illi mox intra conscientias, vim & virtutem humanis viribus majorem experiuntur. Et quod Christus hic mulieri dicit: *Vade in pace: esto sana à flagello tuo, atque Matthaeo teste, ipsa salva facta est ab illo tempore.* Idem tales credentes intra animum suum sentiunt. Nam justificati fide, pacem habent erga Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, Roman. 5. v. 1. quae pax superat omnem sensum, Phil. 4. v. 7. cujus virtute etiam sani facti perferemus in finem usque, ut neque mors, neque vita, neque angeli, neque ulla creatura nos possit separare à charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro, Rom. 8. v. 38.

IV. Quartus articulus hunc insequitur, & docet, quid inde consequamur, si Christum hoc modo fide amplexi simus. Nimirum, quod scimus, mortem credentibus in Christum non esse mortem, sed somnum. Hic articulus rationi prorsus est ridiculus & incredibilis: sed videamus, quomodo Christus scholae suae sectatores de eo informet. Jairus in fide sua admodum erat infirmus, adeo, ut licet statueret, Christum filiolam morti vicinam in vita conservare posse: tamen nondum credebatur, eundem ipsam vitam defunctam ex mortuis resuscitare posse. Adducta ergo fuit foemina in via, ut in fide confirmaretur. Sed ecce, dum Christus cum ea in via tractat, atque eandem rem omnem narrantem cum populo audit, insuper etiam fidem ipsius commendat, accurrunt nuntii ex aedibus Archisynagogi, qui ipsi dicunt: *Filia tua mortua est, quid vexas amplius Magistrum? quid ipsi molestus es? Σκύλλειν enim significat molestiam exhibere, & fatigare aliquem.* Praefigurant hi sermones pugnas illas & terrores, 2. Cor. 7. v. 5. quibus obnoxii sunt illi, qui Christum sequuntur. His saepe objicitur, vel à mundo, vel à propria carne: quid tibi ipsi simul & Christo molestus es ipsi adhærendo, ipsumque sequendo, cum nihilo plus levaminis inde experiaris in mundo, quam alii habeant? tamen tibi tuisque moriendum est, si maxime diuis Christi sectator? Sed quid facit Christus? Is suos minime destituit consolatione, sed erigit suo verbo: quemadmodum hic, quamprimum audit illud nuntium, statim dicit Jairo: *Ne timeas: μόνον πίστευε, solummodo crede, & salva eris.* Ergo rursus dicemus, solam fidem esse unicum instrumentum, quo remedium adversus omnia mala, quae saluti nostrae officunt, apprehendimus. Sicuti, vice versa, sola incredulitas nos ineptos facit, ad percipiendam Dei bonitatem. Ne ergo fides in nobis deficiat, Christus Jesus, qui per Spiritum suum bonum opus in nobis inchoavit, Philip. 1. v. 6. idem etiam Spiritu consolationis illud fovet, sustentat & conservat. Nec hoc tantum fecit in via: sed & cum in domum venisset, & videret flentes adhuc tibicines & tumultuantes, unde novus terror in corde Jairo exoriebatur, ibi tum

Christus nova consolatione eum erigit, plorare vetat, & testatur, adolescentulam nequaquam mortuam esse, sed dormire. Hic est novus articulus universae rationi ignotus, nec à quocquam receptus, nisi in Christi schola sit probe institutus & quasi enutritus. Hunc ut tanto rectius addiscamus, attendendum, quid mors per se sit: qualem esse Christus nos doceat: & demique unde illud habeat.

Mors verò in & per se considerata, est truculentissimus hostis humani generis, & ut Aristoteles rectè pronuntiavit: πάντων φοβεράν φοβερύτατον, inter omnia formidabilia maxime formidandum. Nequaquam ergo cum impiis mortem Christiani contemnant: sed agnoscant eam esse stipendium peccati, Rom. 6. v. ult. Neque enim Deus hominem creavit morti obnoxium: sed ad suam imaginem, ut esset immortalis, qui in aeternum cum Deo conjungeretur. Hinc sapiens dicit: Deus creavit hominem inextremabilem: sed invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, Sapient. 2. v. 23. Aliter ergo moritur homo; & aliter bruta animalia moriuntur. Haec enim creata sunt corruptibilia, licet non peccarint: hominis autem corpus mortuum est ob peccatum, Rom. 8. v. 10. Et jam post lapsum caro & sanguis non possunt possidere regnum Dei: nisi corruptibile hoc induat corruptionem, & mortale immortalitatem, 1. Cor. 15. v. 53. Nec est mors tantum resolutio corporis & animae, per quam anima quidem seu spiritus redit ad Deum, qui dedit eum, Eccles. 12. v. 7. corpus autem seminatur in infirmitate, ignobilitate & corruptione, 1. Cor. 15. v. 43. quando omnia repetentur ab homine, quae à Deo acceperat, Luc. 12. v. 20. sed post mortem superest judicium, Hebr. 7. v. 27. ubi oportebit nos omnes comparere coram tribunali Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum, 2. Cor. 5. v. 10. Ibi Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, 1. Cor. 4. v. 5. Ibi ratio reddenda erit de omni verbo otioso, quod locuti sunt homines, Matth. 12. v. 36. Quod si ergo judex coeperit contendere cum hominibus, non poterunt respondere unum pro mille, Job. 9. v. 3. Et postquam lata erit sententia contra eos, quorum peccata non sunt tecta, neque iniquitates remissa, tum sol in meridie ipsis occidit, Amos 8. v. 9. confirmabitur chasma, ut nullus amplius sit poenitentiae locus, Luc. 16. v. 26. & ibunt in supplicium aeternum, Matth. 25. v. 46. Hoc modo mors in se & per se est consideranda, & qui id facit, is facile intelligit eam non esse more Epicuræorum irridendam, sed maxime formidandam.

Et talis quidem est consideratio mortis per se & extra scholam Christi, unde etiam terretur Jairus nuntio mortis. Sed quando venimus ad Christum, tum is mortem novo titulo insignit, & vocat somnum. Ideo de adolescentula hac dicit, *non mortua est, sed dormit.* Et quia Christus Jesus idem esse heri, hodie, & in secula, Hebr. 13. v. 8. Ideo hoc Epitheton non quidem veteribus ignotum fuit. Mosis dicit Deus, Deut. 31. v. 16. Ecce tu dormies cum patribus tuis. κοιμάσθαι est mori, vel dormitum ire in Coemiterium. Daniel quoque; 12. v. 2. dicit: Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere,

evigi-

evigilabunt. Et de Davide 3. Reg. 2. v. 10. dicitur, quod dormierit cum patribus suis. In Novo tamen Testamento frequentior est hæc appellatio. Appositè autem hoc Epitheton accidentarios mortis effectus considerandos proponit Quos breviter enumerabimus. 1. Homo in morte tanquam somno quiescit. Nam dies nostri, tanquam dies mercenarii: sicut ergò hic præstolatur finem operis, Job. 7. v. 2. Ita ægrotus vel maximè mortem appetit, ut liberetur à suis flagellis, quæ instar hæmorrhousæ sustinuit, ut requiescat à laboribus suis, Apocal. 14. v. 13. Quiescunt ergò mortui in cubilibus suis, & abscondunt sese modicum, donec pertransseat indignatio, Jesaia 26. v. 20. 2. Defatigati non tantum in somno quiescunt, sed & per illum prostratas vires recolligunt & instaurant, ut homo post somnum quoad omnes vires alacrior ad munia vocationis suæ revertatur. Ita per mortem quasi renovamur, quoad omnes vires corporis & animi, ut in novissimo die, ex oriente Sole justitiæ, Jesu Christo, promptiores, paratiores & per omnia aptiores futuri simus, ad peragenda illa opera, ad quæ initio creati fueramus, & postmodum à Christo redempti sumus. 3. In somno, quando corpus quiescit, anima interea non dormit, sed habet suas operationes, non tantum animales, sed etiam quoad mentem & sensus interiores. Hinc proveniunt insomnia, eademque interdum omnium jucundissima. Sic, licet corpus quiescat & habitet in pulvere terræ, Jesaia 26. v. 19. Spiritus tamen redit ad Deum, qui dedit eum. Eccles. 12. v. 17. ubi requiescit in manu Dei, nec tormentum mortis eum tangit, Sapient. 3. v. 1. est cum Christo in paradiso, Luca 23. v. 43. & in sinu Abrahæ consolatione fruatur, Luca 16. v. 25. 4. Homo dum dormit, non curat quid circum se agatur, an homines rideant vel flectant, an edant vel bibant, an saltent vel pugnent, an emant vel vendant, non curat, an dies sit vel nox, an venti flent vel sol splendeat, vel quis sit cursus horologii, & hæc nihilo plus ipsum afficiunt quam vel parietem, donec evigilet. Eadem est ratio mortuorum ad novissimum usque diem, quòd sine omni cura & sollicitudine dormiunt, nihil curantes res mundanas: sive bella sint, sive pax; sive pestis homines affligat, sive fames: sive hæreses in Ecclesia oriantur, sive schismata regnent: sive tyranni piis molesti sint persecutionibus, sive justitia vigeat, sive secundis posteri fruantur, sive adversis. Hæc omnia & similia nihil molestiæ, nihil curarum vel sollicitudinis ipsis afferunt. Nam Abraham nescit nos, & Israel ignorat nos, Esaia 63. v. 16. 5. Somnus etiam ita obrepere solet & sensus hominum occupare; ut minutum illud, quo obdormit homo, is nunquam observare queat: ita & in morte homines obdormiscere solent, ut anima ferè emigret absque sensu; & homo prius mortuus sit, quam vel ipse vel circumstantes ipsam mori animadvertant. Imò ut sæpenumero somnus hominem ex improviso præoccupat, maximè quando quietus sedet: ita non rarò mors subito ingruit, etiam tum quando homines sunt maximè securi. 6. Denique dormientes facillè ex somno excitari possunt, si vel nomine proprio vocentur, vel arrepta manu concitiantur. Ita Christus in novis-

simo die excitabit corpora etiam in morte putrefacta, quando ἐν κελευρω & voce tubæ venerit, ac dixerit: Surgite mortui, venite ad judicium: Venit enim hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii, Joh. 5. v. 28. Ibi tum quisque de terra surrecturus est, & rursus circumdabitur pelle sua, & in carne sua videbit Deum, Job. 19. v. 25. Hæc spes sit reposita in sinu nostro, ut sic non secundum carnis sensum, sed secundum verbum Dei de morte judicare discamus.

Et quia hic incidimus in mentionem Nomenclaturæ, qua Christus mortem insignit, fortassis non abs re erit, si hac occasione colligamus plures appellationes, quibus & Christus & Spiritus sanctus alibi in scripturis mortem notare solent; 1. Johan. 5. v. 24. vocatur μετεβασις, transitus; Cujus Epitheti ratio hæc esse potest. Nos homines quarimus bona: siquidem à DEO non ad malum sed in bonum creati sumus. Sed illa non invenimus in hac vita, in qua meræ sunt miseria, & circumgestamus corpus mortis, Rom. 7. v. 24. cui obnoxii sumus propter peccatum. Superest itaque alia vita in qua est Christus, ubi sunt delectationes usque in finem; Psal. 16. v. ult. Vita autem illa est abscondita cum Christo in Deo, Col. 3. v. 3. & dum in hac vita vivimus, per fidem incedimus, non per aspectum, 2. Cor. 5. v. 7. Certi autem sumus, quod, quando Christus vita nostra apparuerit, tunc & nos apparebimus cum eo in gloria. At verò adhuc magnum est interstitium inter hanc & illam vitam; nimirum mors, quæ, tanquam aheneus murus, interposita est inter hanc & illam vitam, ut nobis hunc murum vel transcendere, vel per eum perrumpere sit impossibile. Sed Christus est verus & perruptor, qui ante nos pandit iter, Mich. 2. v. 13. Idem dux vitæ constitutus, Act. 3. v. 15. per apertam illam sive portam sive januam transit, ut nos firma fide ipsi adherentes, unà cum ipso per mortem transire, & in æternam vitam penetrare queamus. 2. Luc. 9. v. 51. vocatur mors ἀνάστασις, Assumptio. Vocabulum sumptum est à patribus, quibus si quando filii, qui diu domo abfuerunt; rursus offeruntur, & ipsi ex certis signis eos agnoscunt, tum eos pro suis suscipiunt. Sic nos filii degeneres, satis diu extra cœlestem patriam in hoc mundo exulavimus, & in æternum, tanquam acolasti, extra ædes paternas jure oberrare debebamus. Sed Christus prævit in domum patris, nobis paraturus locum, Johan. 14. v. 2. & cum eum paraverit, redibit, ut nos assumat ad seipsum. Interim in hoc mundo post se reliquit ministerium verbi & Sacramentorum, per quod nobis, si fide eum suscipiamus, dat potestatem filios Dei fieri, Joh. 1. v. 12. Si ergò, postquam per mortem transierimus in alteram vitam, & unà nobis cum attulerimus σωματι Domini nostri Jesu Christi, Galat. 6. v. 17. tum cœlestis pater nos tanquam suos υιοὺς filios assumet, & suscipiet. Hinc proveniunt illæ preces sanctorum: Helia, 3. Regum 19. v. 4. Sufficit mihi Domine, λάβε, tolle animam meam: Tobia senioris, Tob. 3. v. 6. & nunc Domine, præcipe in pace ἀναλαβὴν suscipi spiritum meum, Stephanii,

Harm. Tom I.

Rrr 2

phani, Actor. 7. v. 59. Domine Jesu, suscipe spiritum meum. 3. Hebr. 11. v. 5. De Henoch; mors dicitur *μεταθεσις*, Translatio. Sumptum autem est vocabulum ab iis, qui res suas ex una habitatione in alteram transferunt. Hinc mutatio interdum gravis & molesta est: si tamen quis mutet in melius, patienter id facit. Sic per mortem fit mutatio habitaculi. Nam tabernaculum terrene nostræ domus hujus dissolvitur, ut accipiamus ædificium ex Deo, non domicilium manu factum, sed æternum in cœlis, 2. Cor. 5. v. 1. Sicut & D. Petrus 2. Epist. 1. v. 14. suam mortem vocat ἀπίθεσιν depositionem sui tabernaculi. Quæ quidem non fit sine molestia & dolore: quia tamen in hoc mundo diabolus princeps est, qui pios supra modum divexat, migrans autem ex hoc seculo in regionem vivorum, Psal. 116. v. 9. merito molestiam migrationis hujus patienter sustinere debemus. Huc alludit illud, τὸ μεταλύειν Simeonis, Lucæ 2. v. 29. qui cum pace dimitti cupit. Et τὸ ἀναλύσει Pauli, Phil. 1. v. 23. qui desiderat migrare & cum Christo esse. Quod idem Paulus 2. Cor. 5. v. 8. ita explicat, quod cupiat, ἐκδημησαι ἐκ τοῦ σώματος, migrare ex hoc corpore, & liberari à corpore mortis. Quia quamdiu in hac vita vivimus, peregrinamur à Domino. 4. Luc. 9. v. 31. mors Christi vocatur ἐξοδος αὐτοῦ, exitus ipsius. Sicut etiam Petrus suam mortem 2. Epist. 1. v. 15. suam vocat exitum. Nam anima, dum in corpore moratur, quasi Aegyptiacam sustinet servitutem, nec bene cum ipsa agitur, siquidem periculum est, ne seducatur. Sed quando exit ex corpore, tum liberatur, & Christo, fido curatori animarum nostrarum, 1. Petr. 2. v. ult. commendatur, qui ei requiem præstat. Ideo ipsi tribuitur, Hebr. 4. v. 8. quod fit, qui καὶ ἀποκαταστάσει, in requiem collocat animas nostras, tum requiescent ab operibus suis, Apoc. 14. v. 13. 5. Matth. 24. v. 13. & Hebr. 6. v. 11. vocatur τέλος, finis. Quia mors est ultima linea rerum, scilicet nostrarum mundanarum. Unde etiam Syrac. 7. v. ult. inter τὰ ἐχθρὰ, novissima recensetur. Quia post mortem, nec opus nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quod prope ramus, Eccles. 9. v. 10. Ideo etiam Hebr. 13. v. 7. dicitur ἐκβάσις τῆς ἀναστροφῆς, exitus conversationis nostræ: ubi Deus lætum finem ponit malorum & miseriarum. Nam mors etiam est, ἐκβάσις ἐκ τῆς πειρασμοῦ, evasio ex tentatione, 1. Cor. 10. v. 13. aliàs, si absque ea esset, & perpetuo molestiis hujus vitæ premi cogere, non possemus sufferre. Hæc & similia Epitheta mortis, à piis Christianis sunt colligenda & memoriæ mandanda, non inanis subtilitatis ergo: sed quia in his ipsis vocabulis exquisita doctrina & efficax latitat consolatio.

Hanc ergo mortis considerationem Christus opponit threnis, naniis & lamentationibus quas invenit in adibus Archifsynagogi, cujus filiola mortua erat, ut istanquam verus Legis spiritus diversa legis dicta conciliare discat. Nam de mortuis dicitur in Psal. 49. v. 15. quod in inferno sint positi, tanquam oves, ubi mors eos depascat. Danieli autem dicit angelus Domini, 12. v. 13. ipsum quieturum usque ad finem dierum, quando staturus sit in sorte sua. Hæc Christus ita conciliat, ut & Jairo & aliis hominibus dupliciter confide-

randam proponat mortem: una vice, qualis fit in se vel per se, altera vice, qualis fit in Christo. Per se sanè mors est tanquam tyrannus, qui per peccatum Adami regnare cepit in mundo, Rom. 5. v. 14. & regnavit super omnes homines, eò quod omnes peccaverunt. Habet hic tyrannus suum stimulum, seu acutam hastam, legem, 1. Cor. 15. v. 56. ea homines accusat, & conscientias pungit. Diabolus ipsi auxiliatur, qui habet mortis imperium, & timore mortis homines per totam vitam obnoxios reddit servituti, Hebr. 2. v. 14. Sed Christus, qui est vita hominum, Joh. 1. v. 14. duello congressus est cum morte & diabolo: & per mortem suam destruxit eum, qui mortis habebat imperium, Hebr. 2. v. 14. atque sic eos, qui in fide in ipsum veniuntur, liberavit de manu mortis. Sicut in Propheta dicit: Ero mors tua ò mors, morsus tuus ero inferne. Hof. 13. v. 14. Nam solutis doloribus in ferni, Act. 2. v. 24. mortem ita exarnavit, ut in ipsum credentes minimè detinere queat: sed dux vitæ factus, Act. 3. v. 15. mortem quidem destruxit, vitam autem & immortalitatem in lucem produxit per Evangelium, 2. Tim. 1. v. 10. Promisit hoc Deus per Prophetam Jesaiam c. 25. v. 8. Absorbet Dominus mortem in sempiternum: & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet, de universa terra, quia Dominus locutus est. Utiur Propheta verbo מלך quod significat deglutire, devorare & instar boli deglutire. Christus hat den Tod mit Haut und Haar verschlungen. Ut piis in ipsum credentibus non tantum non amplius nocere possit, sed ne quidem amplius sit terribilis. Nam devicit mortem in propria persona, atque per resurrectionem comprobavit, se esse filium Dei, Rom. 1. v. 4. At verò quid hoc nobis prodesset, in quorum corpore adhuc mors regnat? Itaque cum muliere hac & Jairo ad Christum accedendum, & ex ipso audiendum, quid de morte sentire debeamus. Is dicit eum esse somnum. Sed oggannit ratio: quid huic attendis? quid ipsi molestus es? Is est Deus & Homo, ipsi quidem mors non nocet: Ego verò habeo carnem & sanguinem, & in carne meo sentio stimulum mortis, qui pungit ut doleat. Hujusmodi cogitationibus rursus occurrendum, quod sanè Christus sit Deus & homo: sed ipsius nuda divinitas nobis non succurrisset, neque juxta eam morti potuisset: Participavit itaque de carne & sanguine, sicut nos, Hebr. 2. v. 14. absque tamen peccato. Et hoc ipsum corpus, quod à peccato fuit immune, morti subjecit, ut ita in ipsius carne mors jus suum amitteret, atque vinceretur, sicque nos spem acciperemus, quod propter ipsum, qui sumus membra corporis ipsius, de carne ejus & de ossibus ejus, Eph. 5. v. 30. nec nobis mors nocere queat. Tantum in hoc situm est omne punctum, ut ipse nos tangat, sicut apprehendit manum puellæ, & ut voce sua nobis acclamet, sicut vocavit puellam, *Talitha cumi*. Contingit autem & vocat nos, tum in verbo, tum in Sacramento. Primus contactus fit in baptismo, ubi in mortem Christi baptizamur, ut quemadmodam ipse surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, Rom. 6. v. 3. ubi etiam omnes qui in Christum baptizamur, Christum induimus, Gal. 3. v. 27. Sed quia sæpe per peccatum

tum ab ipso recedimus, sicque fœdus bonæ conscientie violamus, atque variis peccatorum inquinamentis nobis morbos & mortem accersimus: iccirco per poenitentiam ad ipsum revertamur, ut accepta peccatorum nostrorum absolutione fœdus in baptismo initum, per usurpationem sacrosancti corporis & sanguinis ipsius in cœna innovemus. In sacra enim illa cœna manducamus corpus vitæ, quod est efficacissimum antidotum contra mortem. De quo Christus ipse pronunciat, Joh. 6. v. 54. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die. Hac de causa veteres sacram cœnam *εσθίου & βιβίου* vocarunt, quod necessarium sit migraturis ex hac mortali vitæ. Nam & Irenæus & Chrysostomus spem resurrectionis suæ fundarunt in eo, quod in cœna participes facti sint ejus corporis, cui mors ultra non dominabitur, Rom. 6. v. 9. Hac de quarto articulo aliquantò fusiùs dicenda fuerunt: quia is, non minùs quam præcedentes, rationi humanæ naturæ est ignotus, addiscitur autem tantum in schola Christi.

V. Quintò etiam aliquid dicendum est de luctu & ceremoniis funebribus, quarum in hac historia fit mentio. Nam flere & lugere in obitu cognatorum vel amicorum naturale quidem est: quia tamen gentes, quæ nullam spem resurrectionis habuerunt, i. Thefl. 4. v. 13. modum in lugendo excefferunt, Deus in lege sua certa mandata præscripsit, quibus populo suo præcepit, ne gentilium morem hac in re imitarentur, Lev. 19. v. 28. Super mortuo non incidetis carnis vestras, neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis, Ego Dominus. Et Deut. 14. v. 1. Filii estote Domini Dei vestri: non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo. Quoniam populus S. est D. Deo tuo: & te eligit, ut sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quæ sunt super terram. Scimus enim, quàm intemperanter homines adversus Deum ferantur, quando dolori suo habenas laxant. Hunc immodicum luctum Deus in populo suo corrigit, dum incisionem & calvitium super mortuo damnat. Quanquam incisionem hujus apud gentes etiam alius finis fuerit. Existimabant nimirum se, mortuis suis justa solvere, & ferales exequias quodam piaculi genere celebrare. Hos præposterò gestus Deus in populo suo prohibuit, & testatus est, eos, apud gentes quidem haberi pro testimoniis pietatis, in suo autem populo esse inquinamenta fidei. Ut autem Deus ista prohibuerit, tamen in hac historia videmus, Ethnicos istos ritus non tantum vulgò in populo Dei receptos fuisse, sed & in Archisynagogi ædes irrepisse: siquidem habuerunt suos *tibicines & turbamulduantem*. *Αδελφου* fuerunt, qui in funere præcedebant, & nãmiam funebrem, defuncti laudes & virtutes continentem, præcinebant. Et erant illæ accommodatæ ad excitandum mœrorem apud spectatores & auditores. *ὁ γὰρ ἱερὸς ἄνθρωπος*, erant præfata, quæ, ut luctui præessent, pretio conducere solebant. Affluefecerant hæc oculos suos, ut ad carmen funebre immodicè lamentarentur, vitam & mores defuncti laudarent, sicque omnes ad flendum & lugendum invitarent. Sed nos missis hisce, ineptiis & nugis gentilium, severè à Deo prohibitis, potius consideremus, quid apud fideles & pios

Harm. Tom. I.

quovis tempore in lugendis mortuis usu receptum & probatum fuerit.

In populo itaque Dei inde ab initio semper usitatum fuit, ut si quis piè hac vita defunctus fuisset, prima cura hæc susciperetur; quo honeste sepeliretur, atque terræ, omnium nostrum matri, corpus mandaretur. Ut ita satisfaceret sententiæ divinitus latæ: in sudore vultus tui velceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es. Quia pulvis es, & in pulverem reverteris, Gen. 3. v. 19. Quo etiam respicit Salomon, Eccl. 12. v. 7. Beluini itaque & caninum fuit, quod Seythæ defunctos suos ipsi devorant, existimantes eos nullo honestiore loco recondi posse: quod Hircani canes sepulchrales aluerunt, quibus mortuos suos devorandos objecerunt: quod Parthi carnes volucris exposuerunt, ossa autem sepelierunt: Lotophagi autem in mare suos projecerunt, ut à piscibus absumerentur. Græci & Romani, tanquam humaniores gentes, mortuos suos rogis ardentibus imposuerunt, & in cineres redegerunt, quos postea mundis vasculis inclusos asservarunt. Contra hosce ritus omnibus Christianis cura sepulchri commendata esse debet. Sepulturam autem procurare soliti fuerunt, conjuges, parentes, liberi, cognati & proximi quique Gen. 23. v. 4. Abrahamus sollicitus est de sepultura Saræ, Gen. 35. v. 19. Jacobus de Rachel, Gen. 50. v. 1. Josephus de Jacobi. Et quidem prolixè ibi describitur, quomodo patri mortuo oculos clausit, eum osculatus sit, per medicos suos unxit, luxerit, & in terram Canaan ad locum sepulturæ deduxerit. Sic Luc. 7. v. 12. vidua Naimitica non abjicit curam suam de mortuo filio, sed sepulturam honestam ipsi procurat. Fecerunt autem hoc propterea: partim, quia sciverunt illa corpora fuisse membra de corpore Christi, Eph. 5. v. 30. & templa Spiritus S. i. Cor. 6. v. 19. partim, quia firma fide crediderunt eadem ipsa corpora olim gloriose ex pulvere terræ resurrectura. Ergo hoc officium sepulturæ, ex charitate, fide & spe Christiana profectum, suis præstiterunt. Et quia non ignorarunt, mortem sanctorum preciosam esse in conspectu Dei, Ps. 116. v. 15. qui omnia suorum ossa custodit, ne unum ex illis conteratur. Ps. 34. v. 21. sui quoque muneris existimarunt, istas sanctorum reliquias non dehonestare, sed depositum tabernaculum suorum; (2 Pet. 1. v. 14.) ita involvere, seponere & terræ custodiendum demandare, ut ipso facto commostrarant, quid de ejus reparatione, quæ in novissimo die institueretur, piè crederent. Quam quoque hoc officium sepulturæ coram Deo fiat, docet scriptura, quæ illud Ruth. 1. v. 8. & 2. Sam. 2. v. 5. misericordiam vocat, atq; Tob. 12. v. 12. testatur, angelos ejus esse inspectores. Unde Deus non tantum Joachimo regi Judæ impio, Jer. 22. 19. sepulturam asini, tanquam pœnam minatur: sed & aliis regibus consimilem pœnam denunciavit, quod cadavera ipsorum regis sepulchris non sint inferenda. Sicuti legitur 3. Reg. 14. v. 11. de liberis Jeroboami, 2. Par. 21. v. 20. de Joram, & c. 24. v. 25. de Joas. In primitiva ecclesia gentiles Christianos occisos inhumatos abjecerunt, ut esca essent feris & volatilibus cœli: sibi ipsi ex Ethnica quadam superstitione persuadentes, ipsos etiam post mortem torqueri, si sepulturæ honore & officio destituantur. Sed Augustinus rectè contra eos disputat, lib. 1. de

Rrr 3

Civitat.

Civitat. Dei. c. 12. & docet, Christianorum corpora propterea ex caelo non esse excludenda, licet terra non tegantur. Cum Deus norit, unde resuscitare velit, quod creavit. Neque enim Christus monuisset, ne timeremus eos qui corpus occidunt, si futurae beatæ vitæ obesset, quicquid tyranni de corporibus occisorum faciant. Est ergo mors sanctorum pretiosa coram Deo, Pl. 116. v. 15. utcunque diri & feri homines dura adversus corpora piorum peragenda suscipiant. Interim tamen, quia pompæ exequiarum, eodem Augustino teste, sunt solatia vivorum, non subsidia defunctorum, piium & Christianum est de honesta funerandi cura esse sollicitum.

Quoad loca sepulturæ in populo Dei magna invenitur diversitas. In Veteri Testamento sepulturæ non fuerunt concessæ circa templum, eò quod hominum, sive occisorum sive per se mortuorum, cadavera secundum legem Moïsi immunda erant: ut patet. Num. 19. v. 14. Et qui mortui hominis tabernaculum ingrediebantur, immundi habebantur septem diebus: Iccirco sepulturæ locum sibi elegerunt in libero campo, sicut Abraham speluncam in agro emit, Gen. 23. v. 20. Debra sepelitur ad radices Bethel, subter quercum, Gen. 35. v. 8. Ibid. v. 19. Rachel sepelitur in via, quæ ducit Ephratam. Interdum habuerunt sepulturæ locum in suis civitatibus & hæreditariis bonis. Ut Joseph in Sichem, in parte agri, qui ipsi possessionis loco datus fuerat à patre Jacob. Jos. 24. v. 32. Ibid. v. 33. Eleazar sacerdos in Gabaath Phinees, quæ ipsi data fuerat in hæreditatem. Et v. 30. Josia sepultus est in finibus suæ possessionis in Thamnathare montis Ephraim. David sepulturæ locum habuit in civitate David, 3. Reg. 2. v. 18. Cujus etiam sepulchrum in Jerusalem duravit usque post tempora Christi Act. 2. v. 29. Et postea conjunctim ibi plerique Reges sua habuerunt monumenta, in quæ etiam Jojadas Pontifex illatus est, eò quod optime de Rege & toto Israele meritis fuisset, 2. Paral. 24. v. 16. Quidam monumenta sua intra aedes construi curarunt: Sicuti Samuel, 1. Reg. 25. v. 1. sepultus est in domo sua in Ramatha: ut sic consideratio mortis subinde ipsis ob oculos versaretur. Matth. 8. v. 28. Gergeseni monumenta sua habuerunt extra civitatem. Et Luc. 7. v. 12. Juvenis Naimiticus extra portas civitatis efferebatur, unde patet sepulturæ locum extra urbem fuisse, fortassis in horto, sicut etiam Josephus de Arimathæa monumentum suum in petra excisum in horto suo habebat, ut inter delicias etiam mortis non oblivisceretur, in quod Christum de cruce desumptum deponi curavit. Matth. 27. v. 60. Joh. quoque 11. v. 30. Lazari sepulchrum fuit extra castellum Bethaniæ. In Novo Testamento Christiani in initio suos defunctos sepelierunt, ubicunque commodum locum invenerunt. Actor. 5. v. 6. & 10. Ananias & Sapphira efferuntur à juvenibus & sepeliuntur. Stephani quoque funus curatur, Actor. 8. v. 2. à viris timoratis. Postea ad sepulchra martyrum etiam alii ex hac vita decedentes sepeliri voluerunt, in testimonium ejusdem cum ipsis fidei. Et quia ferè ibi inter sepeliendum addebantur commonefactiones de peccato, causa mortis, de merito Christi mortem exarniante, de læta spe resurrectionis, de vita æterna: hinc progressu

temporis non tantum mos introductus est, ut credentes baptizarentur super mortuos, 1. Cor. 15. v. 29. sed etiam oratoria ædificata & sacella constructa ad tumbas martyrum. Nec fuit hæc consuetudo primum mala intentione introducta, siquidem eo respexerunt, ut pii, intuentes exitum conversationis suorum Doctorem, imitarentur eorundem fidem, Heb. 23. v. 7. & certi essent, quod ne quidem morte ipsa segregarentur à sanctorum illa communionem, quam per fidem habent in Christo. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut & mortuorum & vivorum Dominus esset, Rom. 14. v. 9. In eodem ergo Christo vivunt, in quo nos. Illi quidem vita cœlesti & spiritali: nos verò vita mundana & naturali. Conducebat etiam hæc consuetudo ad id, ut quoties Christiana templa sive ingredierentur, sive ex iis egredierentur, mortalitatis suæ admonerentur, sicque ad continuam penitentiam excitarentur, quò ad mortem, quæ certissima est, licet hora ejus incerta, semper sese præpararent. Postea secuta sunt superstitiones: quasi terra cœmeritii ob reliquias martyrum sit præ aliis terræ locis sanctificata, ut defuncti placidius ibi quiescant: quasi missis, quæ quotidie intra templum celebrantur, juvenitur mortui, ut tanto maturius ex purgatorio liberentur. Ad refutandas itaque hæc superstitiones & confimiles ineptias, & ad ostendam libertatem Christianam, recte factum à nostris Majoribus, quod pluribus in locis sepulturæ convenientem locum extra urbes elegerunt. Modò veri & pii Christiani ubivis dent operam, ut *κοιμητήρια* ista pura & munda asserventur, ne pietas defunctorum ossa à canibus vel suisbus dissipentur. Est enim ager Dei, in quem reconditur sanctum semen, quod in ætate novissimi diei excrecet in vitam æternam.

Cæterum prodest & illud considerare, quid pii in populo DEI quovis tempore egerint, antequam demortuum suum ad sepulturam efferrent. Est enim ad veteres ceremonias nos Christiani non simpliciter sumus obligati: jucundum tamen est piæ menti, novisse, quid illi fecerint, & inde colligere quid & nos deceat. Hæc itaque potissimum observata sunt. 1. Convenerunt in domo illa, in qua defunctus jacebat. Sicuti hic videmus in domo Jairi, & Actor. 9. v. 30. in funere Dorcadis. Huc respicit Salomon, Eccl. 7. v. 3. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurus sit. 2. Convenerunt in habitu lugentium, quod inde colligere licet, quia Ez. 24. v. 17. propheta à Deo ob certam significationem vel typum interdicitur, ne amictu lugentium ora sua velet. Aliæ enim vestes ornant euntes ad nuptias, aliæ euntes ad domum luctus. 3. Planctum instituerunt, Act. 8. v. 2. Viri timorati magnum planctum fecerunt super Stephanum. Hinc Syracides præcipit c. 38. v. 16. Fili, in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare: & fac luctum secundum dignitatem ejus, uno die vel duobus, ne tibi detrahatur. Nam quò tristior fuit mors, eò major fuit planctus. Jer. 6. v. 26. Judæi jubentur facere planctum amarum, tanquam luctum unigeniti. Josephus quoque Gen.

Gen. 50. v. 10. ad aream Arad, planctu magno & vehementi profecutus est exequias patris sui Jacobi per septem dies. 4. Planctus verò ille non fuit sonus inconditus, vel ululatus insipientis. Sed, ut colligere licet ex historia David 2. Reg. 1. v. 17. & cap. 3. v. 33, Jer. 22. v. 18. Ezech. 19. v. 1. c. 27. v. 2. & 32. v. 2. recitarent ibi historiam vitæ defuncti, si quid sive boni sive mali fecisset, in eum finem, ut memoria iusti esset in benedictione, Pf. 112. v. 3. Sir. 45. v. 1. & ut si quid vitiorum habuisset, posterius ab illis tantò diligentius sibi caveant. Admoniti etiam sunt superstites de suo fine, Eccl. 7. v. 3. Sic enim demortuus superstites alloquitur. Memor esto iudicii mei, sic erit & tuum, Mihi heri, & Tibi hodie, Sir. 38. v. 23. Considerata itaque doctrina de peccato, quisque cogitavit de preparatione ad mortem, deremedia contra mortem quod consistit in passione & morte Christi, denique de consolatione contra mortem, quæ efficacissima desumpta est ex articulo resurrectionis. De qua Martha dicit, Joh. 11. v. 24. scio, quia frater meus resurget in resurrectione, in novissimo die. Ideo 5. peracto planctu, se mutuo consolati sunt & consolationem admiserunt. Gen. 37. v. 37. conveniunt filii Jacobi, ut lenirent dolorem miseri senis, quem inde conceperat, quod putaret Josephum à fera discerptum esse. 2. Reg. 12. v. 20. David à luctu surgit, faciem lavat, & postquam coram arca Domini adorasset, redit domum, sibi que cibum apponi jubet. Idem Rex 1. Par. 19. v. 2. mittit Legatos ad Haionem, filium Naas, regem filiorum Ammon, qui eum consolaretur super morte patris sui. Et ut patet, ex Jer. 16. v. 7. instituerunt honoraria convivium, in quibus frugerunt panem & dederunt potum calicis lugentibus, ad consolandum super mortuos. Ideo Tobias filio suo in præceptis dat, cap. 4. v. 18. Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iustam constitue. Paulus quoque vult, 1. Thess. 4. v. 13. ne ita contristemur super dormientibus, sicut ceteri, qui spem non habent: sed ut nos mutuo consolemur doctrinâ de resurrectione ex mortuis & vitâ æternâ. 7. De tempore quamdiu luctus durare debeat, nihil certi fuit definitum. Gen. 50. v. 3. Joseph cum Ægyptiis deflet Jacobum septuaginta dies. 1. Reg. 3. v. ult. cives in Jabes Galaad lugent Saulem septem diebus, Num. 20. v. 30. & Deut. 34. v. 8. Israelitæ Moſen & Aaronem deflent triginta diebus. Johan. 11. v. 31. Judæi quarto die statuunt Mariam abire ad monumentum, ut ibi ploret. Syracides quoque cap. 22. v. 13. ponit, luctus mortui sunt septem dies. Sed cap. 38. v. 18. dicit, factum uno die vel duobus. Ex his & fidelibus Patres in primitiva Ecclesia desumere summas ceremonias funebres, quas initio pia & bona intentione, absque omni macula superstitionis observarunt. Ut quod ad ædes defuncti venerunt verbi doctores, & lugentes ex verbo Dei consolati sunt, ostendentes, bene cum mortuo actum, illum liberatum ab omni malo, placide in Christo quiescere in spem resurrectionis. Ideo hortati sunt superstites ad patientiam & spem. Quando elatum est funus, omnes sunt secuti, & circa sepulchrum novis Scripturæ sententiis fidem suam declararunt. Ex Pf. 4. v. 9. In pace in id ipsum dormiam & requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me, Psal. 23. v. 4. Etsi ambu-

lavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. Psal. 114. v. 7. Convertere anima in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu, Placebo Domino in regione vivorum. Addiderunt etiam conciones consolatorias, sicuti ex Cypriani sermone de Mortalitate patet. Parato sepulchro presbyter, ut est in Tertulliano, funus in eo composuit: omnia in spem beatæ resurrectionis. Postea propinqui & amici tumularunt. Distributa etiam sunt Eleemosynæ, ut ex Dionysio constat, gratitudinis ergo ad Deum, qui membra Ecclesiæ in vera fide & spe ad finem vitæ usque conservasset, ac proinde citra omne ambiguum in æternam beatitudinem transtulisset. Interdum etiam, si qui adessent, qui eandem Christi fidem suscipere, in eadem vivere & mori vellent, baptismum administrabant, ad hæc sacram communionem instituebant, qua & memoriam passionis ac mortis Dominicæ reolebant, & propriam suam fidem de futura beatâ resurrectione confirmabant: Psalmos denique decantabant, quibus animi mœrorem mitigarent, seque invicem ad spiritualem devotionem excitarent. Sicuti hæc de rebus piæ antiquitatis studiosi consulere possunt Dionysium, Cyprianum lib. 1. Epist. 9. & 10. August. de civitat. Dei lib. 8. cap. 27. Chrysostomum Hom. 70. Et fuerit ista ceremoniæ illis temporibus, quibus Christiani adhuc gentilibus intermixti habitabant, utiles: tum ut ab incredulis gentibus etiam in ipsa morte disgregarentur, tum ut publice suam fidem de animarum immortalitate & corporum resurrectione, adeoque salutarî Christi merito, profiterentur. Neque tum temporis habita sunt pro juvenentis mortuorum: sed fuerunt solatia vivorum, ut Augustinus loquitur. Sed postea sub Papatu, in quo omnia in superstitiones & idolomaniam degenerarunt, amisso vero usu retinuerunt larvas; pro communionem sacra, missam prophanam, pro baptismo aquam lustralem, & pro Psalmodiis Vigiliis, pro sportulis Eucharisticis Eleemosynas meritórias substituerunt. Eaque omnia in eum finem, quasi cederent in commodum mortuorum, qui tanto placidius quiescerent, citius ex igne purgatorio liberarentur, & ad cœlestia gaudia promoverentur. Nugæ hæc sunt, quas Evangelium Christi ignorat, imò, quas *Christus ex adibus Archisynagogi expellit*. Quamprimum igitur in Ecclesia lugubres ceremoniæ ad Gentilissimum degenerant, Christus id ferre nequit. Pios enim mors non torquet, sed est ipsis somnus: & qui in Domino moriuntur, beati sunt *ἀπὸ κοινοῦ*, mox ab illo momento migrationis suæ, Apoc. 14. v. 13. requiescunt *ἐν κοιμητηρίῳ*, in dormitorio & cubili suo, Jesa. 57. v. 2. Unde ergò sigmentum illud ignis purgatorii, defunctos diu noctuque torquentis, nisi à cœcis Gentilibus mutuatum? Itaque recte factum, quod in prima reformatione Evangelii, hæc turba, Christum & doctrinam ejus ridens, ex Ecclesia est ejecta & explosa.

VI. Sextus Articulus, quem in schola, Christi discere debemus, est, ut sciamus, quis sit finis fidei nostræ in Christum, quem vel tandem ab eo reportamus: scilicet beatâ mortuorum resurrectio & vitâ æternâ, 1. Pet. 1. v. 9. Hic articulus humanæ rationi

profus incredibilis. Impossibile enim ipsi videtur, corpus mixtum, quod in simplicia Elementa, adeoque primam materiam (ut Philosophi disputant) dudum est resolutum, posse ex pulvere terræ, ceu ex nihilo, resurgere, vita denuo donari, atque insuper æterna immortalitate ornari. Ideo non tantum Gentilium Philosophi apud Athenenses Act. 17. v. 18. Apostolum Paulum irriserunt, & novorum demoniorum prædicatorem nominarunt, cum resurrectionem annuntiaret: sed & inter ipsos Judæos Saducæi hoc divinum mysterium negarunt, Matth. 22. v. 23, & Act. 23. v. 8. Hymenæus quoque & Philetus in Ecclesia Christi corporis resurrectionem transmutarunt in spiritualem resurrectionem animorum. Unde & a Paulo Satanæ sunt traditi, 1. Tim. 1. v. 20. & 2. Tim. 1. v. 18. Et quot hodie, maxime sub regno Pontificio, hypocritas esse putabimus, qui intra sinum cordis sui hunc articulum pro meris fabulis habent? At nobis, qui sincere in Christum Jesum credimus, hic articulus est persvavissimus ex natura, ex picturis, & imprimis ex Scripturis. 1. In natura Deus eum adumbravit eo, quod singulis annis hyberno tempore totus terrarum orbis, cum arboribus, fruticibus, plantis herbis & floribus emortuus esse videtur: sed in vere novo omnia revirescere & reviviscere incipiunt. Sic muscæ, serpentes, vermes, hirundines & alia insecta hiberno tempore mortua inveniuntur, quamprimum autem calor solis ea rursus attingit, mox pristinam vitam resumunt. Si Deus hoc per naturam facit in istis rebus, quæ nullius pretii esse videntur, quid non ex divina potentia facere possit in corpore hominis, qui ad imaginem ipsius erat conditus & ad eandem redemptus? 2. Picturas nobis Deus eximias de hoc articulo ob oculos posuit. Translationem Henoch, Genes. 5. v. 25. & Helix, 4. Reg. 2. v. 11. qui vivis corporibus in cælum sunt assumpti. Resuscitationem plurimorum à mortuis, ut filii viduæ Sareptanæ. 3. Reg. 17. v. 22. filii Sunamitidis, 4. Reg. 4. v. 35. mortui illius, qui in sepulchrum Elisæi conjectus fuerat, 4. Reg. 13. v. 21. hic filiolæ Jairi, Luc. 7. v. 15. filii viduæ in Naim, Joh. 11. v. 44. Lazari, jam quartum in diem demortui & sepulti, Act. 9. v. 40. Tabæ in Joppe, Act. 20. v. 10. Eutychi in Troade & in primis Servatoris nostri Jesu Christi. De his omnibus uti possumus illo Augustini: Præterita confirmant fidem futurorum. Ad quas picturas etiam referri potest visio Ezechielis 37. & quod Johannes Apoc. 20. v. 12. vidit, quod mare, mors & infernus dederunt suos mortuos, magnos & pusillos, ut judicaretur de ipsis secundum opera eorum. 3. In primis autem in scripturis hic articulus firmissimè est constabilius, Job. 19. v. 25. de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea. Jes. 25. v. 7. Removebit Dominus superficiem operimenti, quo operiti sunt omnes populi, & velum, quo velata sunt omnes gentes. Cap. 26. v. 19. Videntur mortui tui, & interfecti mei resurgent. Dan. 12. v. 2. qui dormiunt in pulvere terræ, evigilabunt, &c. Ose. 6. v. 3. Vivificabit nos Dominus post duos dies: & in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus. His addantur illustria dicta Christi & Pauli, quæ extant Matth. 22. v. 31. Luc. 14. v. 14. & 20. v. 35. Joh. 5. v. 25. & 11. v. 25. Act. 17. v. 31. Rom. 14. v. 10. 1. Cor. 15. integrum caput, 1. Thess. 4. v.

14. Phil. 3. v. 21. & aliis in locis quamplurimis. In his autem testimoniis omnibus, ut & in præsentis historia, cum primis illud observandum venit, quod præcipua causa nostræ resurrectionis nobis indicantur & monstrantur. 1. Efficiens causa est ipse Christus, qui hic lectulo puellæ adstant eam ex morte excitat. Ideo dicit Joh. 11. v. 25. Ego sum resurrectio & vita. Et licet ipse de se testificetur; est tamen, ut Apoc. 1. v. 5. dicitur, testis fidelis, qui nos minime fallit. Et cum primis Apostolus Paulus resurrectionem Christi fundamentum ponit resurrectionis nostræ, Rom. 6. v. 5. Si complantati facti sumus similitudini mortis Christi, simul & resurrectionis erimus. 1. Cor. 6. v. 14. Deus Dominum nostrum suscitavit: & nos suscitabit per virtutem suam. 2. Cor. 4. v. 14. Scimus quoniam qui suscitavit Jesum, & nos cum Jesu suscitabit, 1. Thess. 4. v. 14. Si credimus, quod Jesus mortuus est & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo. 1. Cor. 15. v. 21. Quoniam per hominem mors: & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur. Ideo etiam in superioribus dixit, Joh. 5. v. 21. Sicut pater suscitavit mortuos & vivificavit: sic & filius quos vult vivificat. 2. Organica causa, est Christi contactus & ipsius vox. Nam textus dicit, *Christum apprehensa manu puella clamasse, Tholita cum.* Ipse enim est æternus pater *λογος*, in quo est vita, Joh. 1. v. 4. & caro ipsius non tantum est panis vitæ, sed & qui datur pro vita mundi, Joh. 6. v. 51. Ac proinde Evangelista Marcus consulto retulit verba Jesu, eadem lingua, qua pronuntiata sunt: nimirum Syra, quæ tum Judæis erat vulgaris. Retulit autem ea, non hoc fine, ut quis abutatur ad incantationes vel diabolicam Magiam. Sicuti inveniuntur aliqua Satanæ organa, homines, qui susurris suis, invocationibus cæcæ demonum, & obscuro murmuri, hæc & alia ejusmodi verba admiscunt, sibi ipsis & aliis persvadentes, se virtute eorum mira efficere posse. Sed hoc sine retulit, ut ipsius Christi verborum & non aliorum, efficacitas & virtus, quam in excitandis mortuis, & edendis aliis miraculis in se habebant, manifesta redderetur. Quam facile enim est mihi vel alteri, sano corpore dormientem, apprehensa manu, & addita voce, (v. g. Petre, surge) ex somno excitare; tam facile est ipsi Christo, hujusmodi actione & oratione, mortuos propria virtute excitare. Ille enim mortuam, & sensibus, imò anima carentem puellam, appellatam excitavit. Ita, quæ aliis mortua erat, ipsi Jesu dormiebat. Nec frustraneum est, quod Evangelista suam interpretationem addit, & eidem inserit, (*tibi dico.*) Sic enim vult ostendere differentiam inter mortuorum suscitationem, quæ facta est à Christo, & eas, quæ à Prophetis vel Apostolis factæ leguntur. Hi non potuerunt quenkam propria auctoritate ex morte revocare, sed coacti fuerunt, id precario à Deo impetrare: Christus autem cum auctoritate illud perficit. Ideo inquit: *tibi dico:* id est, Ego, Dominus vitæ & mortis, tibi, quæ, quanquam naturæ mortua es, mihi tamen tantum dormis, dico ut surgas, stesque. Nam verbum *cum* Syris stare significat: qui situs est viventium & valentium, oppositus situi jacendū, qui

qui proprius est agrorum & mortuorum. Et quod hoc loco de filiola Jairi audimus: idem cum filio viduæ in Naim, idem cum Lazaro factum esse legimus. Ut de divina virtute vocis & verborum Christi plane nullum sit dubium. Nam ut Augustinus recte scripsit, nemo tam facile in lecto, quam Christus excitat in sepulchro. Nam enim sapienter, quaterve in clamare cogimur stertentem & profunde dormientem. Christi autem verba ad mortuos tantam habent efficacitatem, ut vox semel emissa non revertatur vacua & inanis, sed efficiat id, cujus causa fuit emissa. 3. Causa materialis etiam monstratur. Quid enim Christus excitabit in novissimo die? illum ipsum hominem, qui in hac vita vixerat & mortuus erat, & non alium. Quod & innuit vocabulum Resurrectionis. Si enim debeat esse resurrectio, necesse est, ut illud surgat, quod prius ceciderat. Ita illa ipsa puella Jairi restituta est vitæ. Hanc causam egregie illustrat ipse Jobus cap. 19. v. 25. Initio nominat seipsum totam personam, quod de terra sit surrecturus. Deinde meminit suæ cutis, quæ tum erat contusa & ulceribus erosa. Addit etiam de sua carne, licet illa in pulvere terræ à vermibus sit erodenda & tota absumenda: tamen per Goelem suum & Redemptorem ex putredine vindicabitur. Denique nec oculorum obliviscitur, quorum lux in morte extinguitur, ut toti concidant: tamen renovabuntur illi & restituentur. Hæc ergo est Jobi fides, quod cadaver suum emortuum, quod per mortem cecidit, ex morte sit resuscitandum. Et hæc eadem est Catholica fides. Ideo veteres hunc Symboli nostri Articulum ita enuntiarunt, ut profiterentur se credere resurrectionem Hujus carnis: *δεντικῶς* se referentes ad sua corpora, ut, quæ in his terris tribulationes simul sustinuerunt, simul etiam in altera vita de gloria & felicitate participent. Ideo etiam David probe tribulatus & divexatus, dicit in Psal. 27. v. 13. Credo videre bona Domini in terra viventium. 4. Forma resurrectionis etiam exprimitur: *Et reversus est Spiritus ejus*. Etenim in morte corpus redit in pulverem terræ, de quo sumptum fuerat: Spiritus autem redit ad Deum, qui ipsum dederat, Eccles. 12. v. 7. Ibi sunt colligata in fasciculo viventium apud Dominum Deum suum, 1. Reg. 25. v. 29. in lumine ipsius vident lumen, Psal. 37. v. 10. & placent Domino in regione vivorum, Psal. 116. v. 9. Quando ergo à Domino permittitur, ut talis anima remigret ad suum corpus, tum hoc denuo vivificatur & resurgit. Sicut eadem forma sermonis Scriptura utitur in resuscitatione filii Sareptanæ & filii Sunamitidis. Hanc formam resurrectionis Deus Ezechieli in visione proposuit cap. 37. v. 7. Dum enim ipse prophetaret, facta est inter ossa arida commotio, & accesserunt unumquodque ad juncturam suam, & nervi ipsi sunt dati, sacrexit etiam caro, & superextensa est in eis cutis: ac tandem ingressus est spiritus in ea, & vixerunt steteruntque super pedes suos. Imaginem hujus Deus nobis proponit in herba virente. Quemadmodum enim granum in terram projectum putrescit primum, postea autem germinat & excrecit in segetem: ita etiam ossa nostra quidem putrescunt in sinu terræ, sed rursus quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini servus ejus, Jesa, 66. v. 14. 5. Finis resurrectionis

etiam considerandus, licet hic alius inveniatur, quam futurus sit in novissimo die. Suscitavit enim Jesus puellam hanc, non tam ut gaudium aliquod Archisynagogo, ejus conjugii & cognatis, afferret, quam ut eos ad fidem & amorem erga se & suam doctrinam invitaret. Ideo Marcus de ipsis parentibus dicit *ἐξέστησαν ἐκστασιν μεγάλῃ, ὀβσῆσαν ὑπὸν σῆπῶρῳ*, hoc est, rei novitate ita percussi fuerunt, ut præ admiratione quasi in stuporem quendam mentis conjecti fuerint. Fit enim hoc in casibus ex improvise evenientibus. Sed hæc ipsa mentis concussio, iis, qui non corda sua adversus Deum induraverunt, occasio est, ut ad verbum & facta ipsius diligentius attendant, iisque facilius fidem habeant. Quod verò additur, Christum interdixisse, ne cuiquam hoc dicerent: nequaquam id factum est, quasi is impedire vellet fidem, quæ per famam de ipso excitatur. Sed factum est partim, quia plena patefactio reservatur in statum usque glorificationis, partim quia noverat hostiles animos reliquorum scribarum & Phariseorum, qui ejusmodi miraculis magis irritabantur. Ne ergo vel illi majoris impietatis occasionem quærent, vel mobile vulgus immoderati quid tentaret, sanctæ humilitati & prudentiæ in hoc facto studere voluit, ut ad consimile virtutum studium nos excitaret. Finis autem universalis resurrectionis mortuorum in novissimo die hic erit, ut tum quisque vel finem fidei suæ consequatur vitam æternam, 1. Petr. 1. vers. 9. tum quisque accipiat, prout factis suis commertuit. De hoc sine Daniel loquitur cap. 12. vers. 2. Qui dormiunt in pulvere terræ, evigilabunt: alii in vitam æternam, alii in æternum opprobrium. Et Christus ipse, Johan. 5. v. 28. Qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii. Et Paulus 2. Corinth. 5. vers. 10. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum. Itaque in universali illa resurrectione resurget, tam Cain, quam Abel: tam Pharaon quam Moses: tam Saul, Absolon, Achitophel, quam David, Nathan, Gad: tam Herodes, quam Baptista: tam Judas, Pilatus, Caiphas, quam Petrus, Cornelius, Timotheus: tum boni, tum mali: sorte tamen inæquali. Illi enim ad vitam & gaudium æternum: hi autem ad mortem & cruciatum sempiternos. Ut enim Pharaon una cum Israelitis maris quidem rubri alveum ingressus est: ita tamen, ut ipse cum suis in eo perierit, Israelitis interim tuto ad liberationem suam tendentibus: Ita in novissimo die, per universalem resurrectionem, electi Dei filii deducuntur ad portum æternæ salutis, ubi adimplebuntur lætitia, & habebunt delectationes ad dextram Dei in æternum, Psal. 16. vers. 11. Impii autem cum æterna consternatione precipitabuntur in stagnum ignis ardentis, Apocal. 19. vers. 20. ubi vermiseorum non morietur, & ignis eorum non extingvetur: & erunt usque ad satiætem visionis omni carni, Esaia 66. vers. 24. 6. Effectus hujus resurrectionis, quia ea tantum facta erat ad hanc naturalem vitam, etiam fuit naturalis. Surrexit nimirum, & ambulavit, & esurivit: ut nimirum ostenderet, se non modo vivere, sed etiam bene

bene valere, & omnibus vitæ muniis rectè uti. Nam pueri grandiores esurire solent, quando valent: excitati etiam à somno cibum petunt, quem, si non valent, recusant. Ideo etiam hoc à Marco est annotatum, ut omnibus modis ostenderet, puellam non modo resuscitatam, sed & ad firmam valetudinem reductam fuisse. In novissimo verò die, quando resurgemus ad spiritualem & æternam vitam, longe excellentiores effectus subsequenter. De quibus potissimum Paulus agit 1. Corinth. 15. vers. 42. & reliq. Quales sunt, immortalitas, spiritualitas, impassibilitas, subtilitas, agilitas, æterna claritas. Sicut etiam Daniel testatur cap. 12. v. 3. fulgebunt quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Et Christus, Matth. 13. vers. 43. Justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Breviter, erimus *ισάγγελοι*, Luc. 20. vers. 36. tanquam angeli Dei in cælo. Hæc consideratio firmam & solidam pietatis consolationem addere potest in omnibus adversitatibus, adeoque in morte ipsa. Absque quasi esset, nos Christiani miserrimi essemus omnium mortalium, qui in terrarum orbe vivimus, 1. Cor. 15. v. 19.

Ita videmus multiplices doctrinas & varium usum utriusque hujus miraculi, & quod de istiusmodi rebus in schola Christi informamur, de quibus naturalis homo non tantum nihil percipit, sed & ipsi stultitia sunt. 1. Cor. 2. vers. 14. Nobis autem sunt sapientia Dei ad salutem.

CAPUT LXVIII.

CONTINENS HISTORIAM DE SANATIS DUBUS COECIS. MATTH. 9. v. 27.

RATIO ORDINIS.

HANC historiam solus Matthæus recitat, & resuscitationi filia primatis (de qua hætenus actum est) ita subjungit, ut dubitari non possit, mox insecutam esse. Ait enim: Et cum *Iesus inde digrederetur, secuti sunt, &c.* Nec extat quicquam apud reliquos, quod interferi possit aut

debeat. Apparet autem Capernaumi istam eorum illorum sanationem accidisse, in ipsius Christi contubernio. Cum enim Dominus resuscitata filia primatis domo ipsius egrederetur, & suam domum iret, eo venientem cæci secuti sunt, quos domi interrogavit, ibidem sanavit, & sanatos ex domo sua dimisit.

HISTORIA DUORUM COECORUM A CHRISTO SANATORUM, MATTH. 9.

27. Καὶ ὡρῶντι ἐκεῖθεν τῷ Ἰησοῦ, ἠκολούθησαν αὐτῷ δύο τυφλοὶ κρίζοντες καὶ λέγοντες, εἰλήσον ἡμᾶς υἱε Δαβὶδ.
28. Ἐλθόντι δὲ εἰς τὴν οἰκίαν, προσήλθον αὐτῷ οἱ τυφλοὶ, καὶ λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς. Πιστεύετε ὅτι δυναμαὶ τῶ ἰσχυροῦ λέγουσιν αὐτῷ, καὶ κύριε.
29. Τότε ἦσαν τῶ φθαλμῶν αὐτῶν, λέγων· Κατὰ τὴν πίστιν ὑμῶν γνηθήτω ὑμῖν.
30. Καὶ ἀνεῴχθησαν αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοί. Καὶ ἐνεβλήθησαν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, λέγων· Ὁρατε, μηδεὶς γινώσκειτω.
31. Οἱ δὲ ἐξελθόντες διεφήμισαν αὐτὸν ἐν ὅλῃ τῇ γῆ ἐκείνῃ.

27. Et cum discederet illinc Iesus, secuti sunt illum duo cæci, clamantes ac dicentes: Misere nostri fili David.
28. At cum venisset in edes, adierunt illum cæci, & dixit illis Iesus: Creditis me hoc posse facere? Dicunt, illi, etiam Domine.
29. Tunc tetigit oculos illorum, dicens: Juxta fidem vestram fiat vobis.
30. Et aperti sunt illorum oculi. Et interminatus est illis Iesus, dicens: Videte, ne quis sciat.
31. At illi cum abiissent, divulgaverunt famam illius in tota terra.

Periocha hujus Historie.

Quemadmodum Sol in cælo nunquam quiescit, sed incessabili motu movetur, quo omnia lucis & caloris ipsis beneficio frui eoque foveri queant: ita Christus, Sol justitiæ, dum in his terris versatus est, nusquam cessavit meando & remeando, quosvis obvios & in angustiis constitutos juvit, suæque beneficentia recreavit. Videmus hoc passim, tum in reliqua Evangelica historia, tum maxime etiam in hujus diei actis. Illo die Christus reversus erat Capernaumum ex terra Gergesorum, in qua duos homines à terribili diabolorum tyrannide liberarat, Capernaumi primum diverit in ædes Matthæi, non tam convivi & corporis recreandi gratia, quam ut publica-

nos una invitatos ad peccatorum agnitionem, veram fidem & vitæ emendationem adduceret. Mox, quia discipuli Johannis & Phariseorum hoc Christi facto offendeabantur, & inquirebant, cur Christus suos discipulos non juxta exemplum Johannis & Phariseorum ad jejunia assuefaceret, ipsis respondit, & simul eos edocuit, qui fiat, quod ipsi suam doctrinam non curent, ut ita vitam monstraret, quam ingredi debeant, si & ipsi salutis participes fieri cupiant. Nondum absoluto illo colloquio, venit Jairus Primas Synagogæ, deque filiolæ suæ unicæ gravi morbo mortu vicino conqueritur, ejusque opem inplorat. Christus mox cum sequitur, sed inter eundem sanat mulier-